

C V K



IVSTICIE MENTIS PICTV
RAM VMDICE SPASDICE
VESTITIVSIVE SINEVA


1574




Paul. fol. 208
Sape utiq; dulcor ~~alacrimis~~ alacrimis soler ..
esse voluptas

Hic ad promovenda scilicet
in familiam Johanna Co.
dipso 1587 rex 93 opilio

Ma. 71.





REPETI
TIO, DE PHILOSOPHICA
REGVLA
IVRIS:

QVILIBET PRAESV-
MITVR VIVERE CENTVM
annos. l. fina. C. de sacrosanct. Eccles.
& l. an vsusfructus. ff. de vsufruct. An
vera sit, vel esse possit Regula, hoc no-
stro æuo. Quæstio, animi, & eruendæ
veritatis gratia, Philosophicè dispu-
tata, & adiectis Doctorum Iuris
opinionibus explicata,

Ab

Henrico Cnaustino, V. I. Doctore.

ACCESSIT SECVNDO LO-
co vehiculum humane vite Pythagoricum,
per fatales numeros, Septenarij, &
Nouenarij, decurrens, eodem
Authore.

IN CALCE, LEGES CORBE-
iensis Monasterij, & Hoxariæ Ciuita-
tis laudes, carmine & prosa.

Cum Priuilegio Casa. Maiest.

M. D. LXXIII.

REVEREN-

DO IN CHRISTO,

ILLVSTRI ET PRÆFULGI-

do, nec non doctissimo, & optimo Sacri Ro-

mani Imperij Principi ac Domino, Domino

Reinhero, DEI GRATIA Imperialis

& liberi, celeberrimi, Amplissimiq; Mona-

sterij CORBEIENSIS, in Saxonia,

ABBATI, Principi & Domino

clementi suo,

Εὐχαρίστησιν ἐν χριστῷ.

Siquid est in me industria,
diligentiaque, quod sen-
tio, quam sit exiguum, aut
si qua versandi in studijs,
tàm Philosophicis, quàm legalibus, ex-
ercitatio, in qua me nō inficior, me-
diocriter esse versatū, horū vel in pri-
mis C. T. fructum debeo maximum.
Excitatus enim sum, illustri Patroci-
nio, & exemplo tuo, quod adeò præ-
clarum est & excellens, vt velut spe-
culum omnibus Principibus, tui ordi-
nis, esse queat. Quidni namq; fatear,

A 2 &

EPISTOLA

& apertè dicam, quod res est, veroque
verius, quod ipse & vidi, & audiui, cū
ante semestre, apud C. T. in tua Aula
coram ac præsens essem, te in omni-
bus Philosophicis, Theologicis & Le-
galibus literis, summo cum iudicio, ad
vnguem versatum esse: vt quam rectis-
simè de ijs omnibus, quæ in cōtrouer-
siam veniunt, iudicare; & de re quali-
bet, in vtramque partem, differere
possis: adeoque prudentiam, ita do-
ctrinæ coniunxeris, vt non minùs de
rebus arduissimis, & causis forensi-
bus, quàm Theologicis disceptationi-
bus, (in quibus tuo merito, & pro mul-
tiplici scientia tua, & doctrinæ pro-
funditate, *Βραβείον*, sacræ Theologiæ
scilicet licentiam, reportasti) senten-
tiam ferre, pronunciareq; scias. Nam
& ne Poëtica quidem studia neglexis-
se in iuuentute tua, à me comproba-
tus es, cum legere daretur eruditissi-
mum, & spiritus Poëtici plenissimū
Epigramma tuum, quo te ipsum de-
scri-

DEDICATORIA.

scribis, & vota facis, quod mirè mihi
placuit, atque ideo huc adscribendum
dixi.

*Vnde genus ducam, vel qui vocer, unde vel
ortus,*

Quisue locus tollat, si tibi scire placet.

*Ecce ego Reinherus dicor cognomine Buch-
holtz,*

Hoc mihi progenies, sacra dat illud aqua.

*Lobbruch me genuit, Gladbach me sedula in
alma*

Vnius in Christi Relligione fouet.

*Tandem Corbeiam vocor, hoc me non me-
ditante,*

Diuino afflatu, consilioq³ patrum.

*O utinam dignè Spartam quam nactus ad-
ornem,*

Hoc Deus ut possim fer precor auxilium.

Et quotidie adhuc non cessas, quã-
tum per administrationem rerum pu-
blicarum in Ecclesia & Politia licet,
Poëticijs inuigilare studijs, cum ali-
quid memorabile accidit, quod Epi-
grammate concludis, atque in æter-
nam rerum memoriam concipis. Hæc
enim studia, iuuentutem alunt, sene-

A 3 ctutem

EPISTOLA

Et utem delectant, res secundas ornāt,
aduersis profugium solatiumq; præ-
bent.

Atq; vt magis elucesceret excellens
illa eruditio tua, quam plurima mecū,
non modò de rebus Philosophicis, &
politicis, in quibus prudens est confi-
lium tuum: sed & de rebus Theologi-
cis, & maximè de certaminibus, & dis-
sidijs huius temporis, perquam cle-
menter & doctè contulisti, & maxi-
mè illud, de Litanijs veterum, in qui-
bus antiqua Ecclesia, diuerso modo
ab eo, qui hodie apud Pontificios est
in vsu, Deo supplicauit, prout ex anti-
quissimo, manu scripto, Codice, vnà
cum innumeris alijs antiquitatibus,
documenta grauisima proferebas,
quæ omnia infrà, in descriptione Mo-
nasterij Corbeiensis, eo ordine, quo
apud vos legimus, ponemus.

Atque hæc quidem de nostro con-
gressu, & colloquijs, præfari voluimus.
Taceo insignem humanitatem ac be-
neuo-

DEDICATORIA.

nevolentiam, qua exceptus atq; tractatus sum per non paucos dies: vbi mihi volupè fuit, cum tam docto Principe, integros ferè dies, iam de rebus Theologicis, iam de legibus, & causis politicis, iam de Phycis, iã de Historijs, quarum diligens Lector es, cõmentari, amiceque conferre. Inde factum est, vt dies mihi tum, solito breuiiores, viderentur. Et cum ex tot colloquijs, varijsq; collationibus, te principem, solida eruditione præditum, & præ multis, hoc nomine, insignem cognouerim: & pro innumeris, amplissimisque in me collatis beneficijs, nõ habeam, quod rependam, nisi chartacea ἀντίδωρα: volui hanc meam repetitionem Philosophicam, in Regulam Iuris. (Quisque præsumitur viuere centum annos, &c.) C. T. nuncupare, recepto iam olim patrum more. Et meo quidem iudicio, quam rectissimè faciunt homines docti, si suas operas ipsis doctis elocent: ac ijs præsertim,

EPISTOLA

tim, qui & stemmatibus doctrinā ad-
diderunt, & auctoritate, literis exor-
nata, valent. Amant enim hi potissi-
mūm literas & literatos, eosque in pa-
trocinium suum vltro & sponte susci-
piunt.

Accipe igitur, Princeps optime,
& illustri virtute Serene, quod humili
& officioso affectu offero ἀντιδωρον,
impar quidem magnificentiae benefi-
ciorum tuorum: laudandæ tamen &
egregiæ voluntatis specimen, quod
vt, pro natiua benignitate tua, clemē-
ter complectaris, te etiam atq; etiam
oro. Amant viri magni nonnunquam
& leuidentia munuscula, quæ custo-
diunt, circumferunt: vel tantūm in id,
vt hominum amicorum memoriam
subinde renouent. Ita futurum con-
fido, Præsul Amplissime, vt ex hoc no-
stro leuio ris opellæ munusculo, non-
nihil iucunditatis & ad te perueniat,
non quòd Ciceronis lechytis splen-
deat, aut Isocratis myrothecijs: sed
quòd

DEDICATORIA.

quòd partem deliciarum tuarum (vo-
co Philosophiam tuas delitias) in sc
velut depictam (utinam condigno pe-
nicillo) repræsentet. Faxit Deus Opt.
Max. præfulgide Princeps & Præsul,
vt quam diutissimè, qua soles, pietate,
Religione, vitæ sanctimonia, bonita-
te & probitate, tuis facula præluceas,
iuxta præceptum Christi: Sic luceat
lux vestra coram hominibus, vt videât
bona vestra opera, & glorificent pa-
trem, qui in cœlis est. In id precor pa-
trem Domini nostri Iesu Christi, quò
tibi paternè & clemens largiatur, vt
Regula, quam in hoc nostro Cōmen-
tariolo tractamus, in vitæ tuæ tempe-
ratissimæ & moderatissimæ curricu-
lo, vera fiat, centumq; annos ipse con-
tingas. Et quidem spero hoc ipsum,
temperantiæ & sobrietatis beneficio,
qua plurimos anteis virtute Princi-
pes, ac Præsules, facilè confieri posse.
Vix enim quenquã vnquam vidi Prin-
cipem, inter Germanos, qui fruga-

A 5 lius

EPISTOLA

liùs viuat, & aulam foueat frugalem
ac temperantem magis, ita vt dici hac
parte meritò possit:

Tota sui ad Ducis exemplū cōponitur aula.

Quod superest, vnum, Princeps &
Præsul Illustris, obsecro C. T. vt & si-
gnificationem cultus, atq; obseruan-
tiæ erga te meæ, declaratam hoc qua-
liquali munere, optimam in partem
accipias, & compellationem ipsam li-
beriore, benignè interpreteris. Benè
feliciterque vale, & me commenda-
tum tibi semper habe, charumque.

Erfordiæ Calendis Octobris, Anno à
partu Virginis salutifero, qui nobis filiū
Dei exhibuit, quē caput Serpentis con-
triuisse credimus, vt sua natiuitate o-
mnes in se credentes, saluos faceret, post
Millesium, quingentesimo septuagesi-
mo tertio.

R. C. T.

Addictissimus minister

Henricus Cnaustinus, V. I. Do-
ctor, Poëta Cæsareus, Sacri Pa-
latij Lateranensis **COMES**
ET MILES.

I

REPETITIO, DE PHILOSOPHICA REGVLA IVRIS:

QUILIBET PRAESV-
MITVR VIVERE CENTVM
annos. l. fin. C. de sacrosanctis Eccles. & l. an
ususfructus. ff. de ususfruct. An vera sit, vel
esse possit, hoc nostro aeo, Questio, animi, &
eruenta veritatis gratia, Philosophicè dispu-
tata, & adiectis Doctorum juris opi-
nionibus, explicata, ab Henrico
Cnaustino, V. I. Doctore.

Allegas Regulam Iuris, ex Codice,
& Pandectis, Quòd quilibet
praesumatur viuere centum an-
nos. Verba Textus, quæ sunt?

Imperator l. fin. C. de sacrosanct. Eccles.
sic inquit: Sed ne videamur, in infinitum hanc
actionem extendere, longissimum vitæ homi-
num tempus elegimus, & non aliter eam a-
ctionem finiri concedimus, nisi centum an-
norum curricula excesserint. Hic Glossa po-
nit: Hæc est enim longissima hominis vita.

Textus

AN QVILIBET VIVAT

Textus verba, in l. vsusfructus. ff.
de vsufruct. quæ sunt?

*Placuit, centū annis, tuendos esse municipales.
Nam is finis longæ cui hominis est.*

Hæ leges, valdè sunt Philosophicæ?

*Sunt omnino, sicut plures tales extant,
sed hodie sexaginta, vel septuaginta anni,
vix dicendi sunt, longissima hominis vita. Et
ideo probabile est argumentum, à commu-
niter accidentibus, quod onus probandi trans-
fert in aduersarium. Atque idcirco, si quis
olim probauit, se habere liberos, non presu-
mitur, post aliquod tempus, eos adhuc viue-
re, nisi probetur. l. qui duos. §. cum in bello. ff.
de reb. dubijs. Nam rarissimè videmus con-
tingere, ut quis centum annos viuendo con-
sequatur. l. neq; natales. C. de proba. Et in
contrarium Regula, est text. in l. spadonem.
§. qui absolutus. ff. de excusat. tuto. Itaq; di-
camus, hoc loco, & in hac Regula, non de ra-
ris illis, sed de communiter accidentibus, iu-
xta presentem naturæ statum & cursum, nõ
de centum, verum de quinquaginta, sexa-
ginta, septuaginta, aut ad summum, de octo-
ginta annis, quos quam rari, eorum, qui ho-
die viuunt, assequantur, omnibus notissimū,
& in conspectu est quotidiano.*

Veruntā-

CENTVM ANNOS. 2

Veruntamen & sacrae literae testantur, ni fallor, hominem centum, & ultra, annos, cōsequi posse?

Meminit huius rei Moses, verissimus ille, & summus omniū Prophetarum, Historiographorumq; princeps, capite Genesios 6. Verba textus sunt: Dixitq; Deus, Non permanebit spiritus meus in homine, in aeternū, quia caro est. Eruntq; dies illius, centum, viginti annorum.

At quadrare illa magis, puto, ad Giganteum illud seculum, quod tunc fuit, quam ad hoc nostrum ævum, in quo nos iam vivimus, & sumus. Quantum enim degenerarit natura, quis non videt?

Rectè sentis. Nam immediatè post hæc verba, sequitur: Gigantes autem erant super terram, in diebus illis. Ergo ritè nominas illud seculum, Giganteum, & colligis, nō quadrare ad nostram ætatem. Quamobrem & David Psalm. 89. inquit, Anni nostri, sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum, in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octuaginta anni, & amplius eorum, labor & dolor. Ecclesiast. 10. Omnis potentatus, brevis vita. Esaiæ 23. Anni 70. sicut dies, Regis unius. Hinc Psalm. 38. No-

rum

AN QUILIBET VIVAT

rum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum annorū, quis est, ut sciam, quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Et Psal. 102. Recordatus est, quia pulvis sumus. Homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, sic effloret. Item Psal. 143. Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra, prætereunt. Sapientia 2. Exiguum, & cum tædio, est tempus vite nostræ. Job. 14. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Eccle. 18. Numerus dierum hominum, ut multum, anni centum, quasi gutta & aquæ maris, deputati sunt. Et sicut calculus arene, sic exigui anni, in die ævi, Apostolo concludente, nos sumus, in quos fines seculi devenerunt.

Aetates hominum quomodo diuiduntur?

Aetates hominis sunt septem, quibus tempora variantur. Scilicet, Infantia, Pueritia, Adolescentia, Juuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitas, vel Senium. Sic Hippo. de septimanis.

Hinc Distichon extat:

Infans, inde Puer, Adolescens, post Juuenis,
Vir,

Subsequiturq; Senex, postea Decrepitus.

Hæ septem Aetates, quò respiciunt?

Pro-

CENTVM ANNOS 3

Proclus, inquit, Septem hos aetatum gradus, seriem naturam, ac proprietatem, septem Planetarum, respicere & sequi.

Quis Planetarum, Infantiam regit?

In prima aetate, quae Infantia dicitur, Lunae vis & proprietas deprehenditur, Nam vivere nos constat, eo tempore, virtute naturalis incrementi, in quo humor abundat.

Lunae vis, in Infantiam, usque ad annum 7.

Ad quot annos Infantia se extendit?

Ab initio partus, usque ad septimum aetatis annum.

Quis Planetarum proximus, pueritiam gubernat?

Secunda aetas, quae Pueritia appellatur, Mercurij naturam refert, utpote, quando homo iam affici incipit amore doctrinae & scientiarum, Musicae imprimis, tam vocalis, quam instrumentalis, aliarumque artium bonarum, gladiatoriae, saltatoriae, chorreorum, paribus colludendi & conuersandi, Arithmeticis rationibus, & alijs similibus iocandi, tergiuersandique. Mercurius autem, iuxta Astronomorum doctrinam, inconstans Planeta est, & omnino similis illi, cui sociatur, bonus, cum bonis, malus, cum malis.

Mercurij vis, in Pueritiam, usque ad annum 14.

Quousque se producit Pueritia?

A septimo anno, usque ad decimum quartum aetatis annum.

Ter-

AN QUILIBET VIVAT

**Tertiam ætatem, Adolescentiam
videlicet, quis Planetarum regit?**

Veneris
vis, in Ado-
lescentiã,
vsq; ad an-
num 18.

*Tertia ætas hominis, quæ Adolescentia
dicitur, Veneri est addicta, tunc, scilicet,
membra hominis incipiunt fieri seminifera
& fœcunda, simulq; incurgescunt, inclinata
ad luxuriam, & actus Venereos. Hæc namq;
est Veneris natura.*

Adolescentia, quousque producitur?

*A decimo quarto, vsq; ad decimũ octa-
uum annum.*

**Quartam ætatem, Iuuentutem,
nimirum, quis Planetarum habet?**

Solis vis, in
Iuuentu-
tem, vsque
ad 35. an-
num.

*Quarta ætas, Iuuentus, Soli assimilatur.
Nam in ea regnat florida exultatio, & leta
exuberantia sanguinis. Sicut enim Sol, ori-
go & fons est diurni luminis, oculusq; cœli, et
mundi: ita & Iuuentus, flos vitæ habetur.*

Ad quot annos, Iuuentus procedit.

*Ab anno, videlicet, decimo octavo, vsque
ad annum tricesimum quintum.*

**Quintam ætatem, Virilem, scili-
cet, Planetarum quis possidet?**

Martis vis,
in Virilem
ætatem,
vsque ad
48. annũ.

*Virilibus annis, Mars imperat, quando
homo perfectam roboris vim affecutus est in
corpore, & membris, calidus & siccus, quem
admodum hic Planeta Mars.*

Anni huius ætatis, quot sunt?

A

CENTVM ANNOS. 4

A trigesimo quinto anno, usque ad quadragesimum octauum, progreditur.

Sexta ætas, Seniorum, videlicet, cuiusnam Planetæ subiecta est?

Benigno Planetæ Jovis, hæc ætas subiecta est, quæ sapientiam & vitam quietam, in ordine Ecclesiastico, aut statu civili requirit, & postulat.

Iouis vis,
in Seniorū
ætate, usq;
ad 61. an-
num,

Quoto annorum curriculo, hæc ætas deuoluitur?

Ab anno scilicet quadragesimo octauo, usq; ad sexagesimum primum annum.

Septima ætas, Senum nempè, vel Decrepitorum, cuius dominio, inter Planetas subiecta est?

Imperio Planetæ Saturni, in qua ætate, natura à generatione separatur, sequestraturq; , ac omnibus carnalibus voluptatibus valedicit, nihilq; amplius, de temporalibus et transitorijs cogitat. Saturnus enim, quando Senes inuadit, facit eos difficiles, querulos, tenaces, & auaros, repletq; omnes malis sue nature, utpote frigiditate, ignauia, segnitie, inertia, tarditate, tristitia, & melancholia, sexcentis denique alijs, innumerisq; calamitatibus, miserijs, morbis, & egritudinibus, laboribusq; , sicut Poëta dixit:

Saturni
vis, in Senū
ætate, usq;
ad vitæ fi-
nem.

B Opti-

AN QUILIBET VIVAT

*Optima quæq; dies, miseris mortalibus, aui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; sene-
ctus,*

Et labor, & dura rapit inclementia mortis.

Et Naso.

*Inde senilis hyems tremulo venit horrida
passu,*

*Aut spoliata suos, aut quos habet, alba ca-
pillos.*

Item pulchrè Horatius:

*Multa senem circumveniunt incommoda,
vel, quòd*

*Querit, & inuentis, miser abstinet, & timet
uti.*

*Vel, quòd res omnes timide, gelideq; mini-
strat.*

*Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, censor, castigatord; minorum.*

Nec incitum est, Ausonij illud:

*————— Ipsa senectus,
Expectata diu, votisq; optata malignis,
Obiicit innumeris corpus lacerabile mor-
bis.*

Quando hæc ætas absoluitur?

*Hæc ætas finem vitæ spectat, & usque ad
terminum protenditur, siue is sexagesimo ter-
tio, qui est annus senum climactericus, siue
septua-*

CENTVM ANNOS. 5

Septuagesimo, siue octuagesimo, aut eorum climacibus, exeat.

Alij, quomodo hominum ætates diuidunt?

Varro, quinque ætatum gradus ponit, & quemlibet gradum equaliter diuidit, in quindecim annos, excepto ultimo.

Primus ergo gradus, quis est?

Prima diuisio, vsque ad quindecim annos, Pueri, vsq; comprehendit in se Pueros, à puritate dictos, ad 15. annum. quasi puros.

Secundus gradus, quis?

Secunda diuisio, vsque ad annum tricesimum, complectitur Adolescentes, ab adolescendo nuncupatos. Adolescentes, vsq; ad 30. annū.

Tertia diuisio, quæ est?

Tertius ætatis gradus, ab anno trigesimo, vsque ad quadragesimum quintū, includit in se Iuuenes, à iuuando appellatos, quòd iuuent armis & robore Reges & Principes, bella gerentes. Iuuenes, vsque ad 45. annum.

Quarta diuisio, quomodo se habet?

In quartum gradum, ab anno quadragesimo quinto, vsque ad sexagesimum incidunt Viri, qui à vigore, vel virtute nominantur, & confirmato iam iudicio, vi consiliorū, præstò sunt Rebus publicis, quibus gubernandis præficiuntur. Viri, vsque ad 60. annum.

B 2 Quin-

AN QUILIBET VIVAT

Quintus gradus, quis est?

Seniores & senes, vique ad vitæ exitum. *Residuum annorum vitæ, quinta diuisioni adscribitur, & dicuntur illi, qui in hoc ætatis gradu, ab anno sexagesimo, vsq; ad vitæ exitum perdurant, & consenescent, primùm Seniores, deinde Senes, à senario numero, id est, sexta hominum ætate, vel, à sentiendo, dicti.*

Enumerati gradus quinque, quid homini studioso, & altiùs, ea, quæ dicta sunt, meditati, suggerunt?

Mihi sæpè in mentem venire solet, quoties de hac ætatum partitione cogito, tempora & annos hominum, non in scitè fabulis, siue eæ Comædia, siue Tragædia sint, equiparari, conformariq; posse. Quinque autem tantum Actus sunt, in qualibet fabula, & postquam quinquies, in proscenium egressa, visa & audita est persona, iam amplius non egreditur, nec in Scena loquitur.

Hæc nos meditatio docet, monetq; à Deo Opt. Max. suppliciter orandum, & sic vitam instituendam, moresq; regendos esse, ut aui nostri curriculum, Comædia, & non Tragædia, actionem referat, ut ultimum actum omnino in nostris ædibus, inq; nostris lectulis, placidè concludamus, & rebus humanis, eo pacto, pacificè, & honorificè, sine sanguine, sicca morte, Plaudite, & ultimum vale dicamus.

ms.

CENTVM ANNOS. 6

mus. Multò enim satius est, vitam nostram, Primo actu, in Prothasi, triste habere exordium, sicut flendo, & non sine doloribus, hunc mundum intramus, & nascimur. Deinde etiam, ut in fabula Epithasi & progressu, cū in medio vite sumus, nos multis laboribus, curisq; subijci, quando omnino in hac vita necesse est, multas perpeti vexationes, persecutiones, & aduersitates, sicut cuius plerunque, in rei familiaris administratione, aulica, & civili vita, accidit. Sic agi nobiscum, in prima, & media fabula parte, melius esse, inquā, modo Catastrophe bona sit, & placida, simulq; omnia in bonum finem recidant, & comicè, non Tragicè, exeant, & claudantur.

In Tragœdijs verò, initia, leta sunt & iucunda, duratq; hoc ipsum ad tempus. Deinde incipit fortuna pedetentim mutari, & retrogradi, aduersantisq; tandem faciem induit, usq; adeò, ut omnia demùm leta, prospera, iucunda, & dulcia, honorem, dominationem, potentiam, & quicquid magnū ac suaue fuit, auferat, ac tristia, dolenda, & horrenda quæque, in locum reponat, & in finem tristissimū, calamitosissimumq; exeat.

Seneca inquit, Vitā hominis intuendam, inspiciendamq;, velut Comœdiam quandam, quæ in prosœnio exhibetur & agitur, in qua

AN QUILIBET VIVAT

præcipuè consideratur & perpenditur, non quam diu, sed quam belle, pulcreq; acta sit. Non absimile huic est, quod alio loco dixit. Nihil refert, ubi locorum vivere desinas. Desine vivere, quocunque loco id commodum tibi fuerit, tantum bonam adde clausulam. In fine, quod aiunt, videbitur cuius toni. Finis omnia sustinet. Prout quisque vixit, ita & Deus plerunque accommodat finem. Si bene vixit, bene ergo & moriatur. In finem omnia recurrunt, reciduntq;. Hæc admonitio utilis est iuuenibus, & omnibus, qui vitam rectè instituere cupiunt.

Suntne plures ætatum diuisiones?

Sunt. Nam & Solonis auctoritate, quidam, hominis vitam, in decem, vel undecim gradus diuidunt, ut vnaquæq; ætas, annos habeat septenos. Nec hæc diuisio inepta est, aut indocta. Nam septimo quoque anno, mutationem quandam, ac vicissitudinem, in homine deprehendi, affirmant & perhibent Medici.

Quidam, quatuor tantum ætates, ni fallor ponunt?

Galenus, quatuor tantum ætates ponit. Primam, iuuenum. Secundam, vigentium, seu virorum. Tertiam, mediorum. Quartam, & ultimam, Senum.

Com-

CENTVM ANNOS. 7

Communis ætatum diuisio,
quæ est?

Hæc est, quæ per decem procedit, ad cen-
tesimum vsque annum, dixeruntq; veteres:

Decimo anno, puerum, quam ætatem, ob
petulantiam & mollitiem, Hædo assimilant. X.

Vicesimo, Iuuenem, quam ætatem, Vitu-
lo, ob proteruitatem & lasciuiam, compa-
rant. XX.

Tricesimo, Virum, quam ætatem, Boui,
ob validitatem, roburq;, & vires corporis, ac-
commodant. XXX.

Quadragesimo, benè formatum dixere,
id est, benè habitatum, atq; iam membrorū
incremento, & compagine consolidatū. Hanc
ætatem, ob fortitudinem animi, & corporis
confirmatum robur, Leoni tribuunt. XL.

Quinquagesimo, consistentem. Hanc con-
sistentia ætatem, ob calliditatem Vulpi ad-
scribunt. L.

Sexagesimo, incipientem senescere. Hanc
ætatem, quæ initium est senectutis, Lupo cō-
parare voluerunt, ob nature auiditatem, cu-
piditatemq;, seu auaritiam, quæ in senibus
præcipuè deprehenditur. Cū enim in seni-
bus omnia decrescant vitia, sola auaritia
crescit. Notum est autem, Lupo rapacita-
tē scribi. LX.

B 4 Septua-

AN QUILIBET VIVAT

LXX. Septuagesimo, canū. Hanc ætatem, Cani similem esse indicarunt, ob sæuitiam, rabiem, & mordacitatem, quod sint morosi, pleerunq; senes & difficiles.

LXXX. Octuagesimo, sapere desinentem, insipidū, cui ætati Felis naturam tribuunt, ob speculandi vim, quod ego opinor, & silentiū, quibus insidiatur muribus, quos capere cupit, quæ duo sunt Melancholica.

XC. Nonagesimo, pueris ridiculum, Huic ætati Asini naturam assignant, ob tarditatem, pigritiam, ignauiam, inertiam & stoliditatem. Hinc illud, quod in Proverbio est, Bis pueri senes.

C. Centesimo, dignum cui Deus misereatur & propitius sit. Ultima huic ætati datur Anser, ob nocturnas excubias & vigilias, quod puto. Nam totas noctes insomnes ducunt, Decrepiti hi senes, si qui omnino eò ætatis deueniunt, quod omnium est rarissimum.

Cum autem rarissimi, eam, quam dixisti, ætatem assequantur, quem ergo perfectissimum ætatis humanæ annum esse ducis?

Is videlicet annus est, quem novies novem multiplicata, conficiunt, qui est annus octuagesimus primus, ad quem peruenere, qui animi potius, quam corporis virtute poluerunt,

CENTVM ANNOS. 8

luerunt, & qui per animi valentem ac vigentem spiritum, corporis molestias superarunt. Hunc Plato, legitimam vitæ finem existimavit, atq; eo ipso anno, cum eleganter & quietè etatem exegisset, placida & levi senectute, scribens mortuus est, sobrietatis, & diligentia beneficio.

Plenæ autem vitæ spatium, quod esse, veteres tradidere?

Staseas, plenam vitæ spatium, octuaginta quatuor annorum esse dixit, quem terminum vitæ, si quis præterierit, idem facere, quod quadrigæ faciunt, cum extra finem procurunt.

Suntne quidam excellentes viri, hunc annum egressi?

Sunt. Inter alios, Galenus memoratur, qui non modo octuagesimum primum, sed octuagesimum quartum annum cum egressus esset, & iam octuagesimum septimum annum implevisset, atq; natali die obisset, communem mortaliū sortem excessisse eum, Gracia Magi dixere. Nam &, quod magis mirum est, ea etate, eoq; ipso anno, quo mortuus fuit, adhuc scripsit, sicut & Plato inter scribendum obiit.

B 5 Fata.

AN QUILIBET VIVAT

Fatalis ætas hominis, quousque proferri potest?

Ad decies septenos annos proferri posse fatalem hominis ætatem, Varro memorat. Ab anno autem septuagesimo nec postulari debere, nec à Dijs impetrari posse, productionē. Si quando tamen contra fiat, ut hanc fatalem metam egrediamur, & octuagesimum quartum annum, de quo supra diximus, attingamus, postea homines à matre sua abire feruntur, ac iam quodammodo naturam excessisse, nihilq̄, ultra, quàm in foribus mortem adesse.

Hominis vitam, non esse longiorem, qui fit?

Genus humanum, in gulam prolapsum, atq̄, in luxum, incontinentiã, intemperantiã precipitatũ, factum est discriticũ, quamobrem & semen eius, est discriticũ, & quod ex eiusmodi semine nascitur, est tale, ac inde generatur discriticum, exiguo, breuiq̄, tempore viuens. Atque hoc ipso debilitata est corporum natura.

Maiorum autem nostrorum ætas, quæ fuit?

Prima seculi ætate, unitate traductionis humane originis, materia solida et compacta erat, inde fortissimi homines, magnis corporibus.

CENTVM ANNOS. 9

bus, Gigantibus robustiores, & viribus praestantiores, nascebatur, erantq; vitæ longæ, eò quòd materia inepta erat resolutioni, resistens consumptioni & corruptioni. Processu verò temporis, multiplicato successivè hominum à substantia egressu, & viribus attenuatis, materiaq; diminuta, & decidente in minorem staturam, non parùm immutata est hominum natura, ac iam pedetentim, magis, magisq; in defectum, labitur, & de tempore, in tempus, conficitur. Neq; solum humanorum corporum, sed & inferiorum quorumcunq; natura deficit, testante Plinio, qui tamen dixit, suo ævo fuisse Nationem aliquam, in qua homines, ad ducentos annos vixerint.

Ergo & animantium natura deficit?

Omnino. Nec enim tam diu nunc Cervus vivere creditur, quam olim, sicut eum Plinius, & alij vivere descripserunt.

Quot annos ergo Cervus vivit?

Veteres dixere, Sepe, tres durare annos. Canem, tres Sepes, hoc est, novem annos. Equum, tres Canes viginti septem videlicet annos. Hominem, durare tres equos, scilicet 81. annos. Cornici autem Hesiodus novem nostras attribuit ætates. Cervis, quadruplum.

Es

AN QUILIBET VIVAT

Et hoc porrò triplicatum, Coruis. Reliqua ex Plinio disces.

Possuntne excedi & superari limites suprà dictorum annorum?

Bonitate nature, ubi non modò vis corporis, sed & animi prestans est, beneficioq; frugalitatis, temperantia, & sobrietatis, assequi quis possit 91. annũ, sicut Cleantes, qui uno minus centum annos explevit. Xenophanes annis 100. fuit. Gorgias, omnium veterum, maximè senex, octo, supra centum, annos vixit.

Ergo & animi passiones, aliquid momenti hac parte habent?

Omniibus modis. Nam fortitudo, & prestantia animi, plurimũ morbis corporis, adfert medicinæ, auxilij, & adiumenti.

Quomodo autem, si animus malè affectus sit, eius morbi curantur?

Morbos animi, quos vocant τὰ πάθη, verbum Dei, & fiducia in filium eius, bonaq; cōscientia, & si vis etiam Philosophicè loqui, Musica, lenire ac sanare consuevit.

In omnibus istis suprà dictis annis, qui sunt, præ cæteris, fatales?

Rota vite humana, septenario finiri dicitur, id est, annis climactericis, qui hominibus sunt fatales.

Annus

Annus climactericus, quid est?

*Climactericus, quasi Gradarius, seu Sca-
laris, est septimus quisque decurrens, & re-
currrens annus, cuius tempora, periculi ple-
na, & dubia existunt, fortunisque hominum, &
vite, dira minantur. Vita enim mortalium,
quoties septenarij ingruunt, cum corpus &
animam complectantur, plerunq, aliqua vi-
cissitudine, & mutatione, grauari solet, ap-
portantq, hi anni, semper aliquid noui, quod
nos mordeat. Pythagorici, Septenarium, vi-
tae vehiculum appellarunt.*

Suntne omnes anni climacteri-
ci, quos & Criticos dicunt Geneth-
liaci, promiscue, & sine discrimine,
æque difficiles?

*Et si septimum quemq, annu, periculo-
sum esse constat, tamen Genethliaci, alios,
alijs difficiliore dixerunt, & eos potissimum
obseruandos putarunt, in quibus est, ex septe-
narijs septimus, & numerus quadratus, ut in
quadragesimo nono, quem annu, pro omnium
difficillimo & periculosissimo habent, cum ta-
men, neque ex illis, quos vetustas celebrauit,
multos absumserit, neque ex nostris homini-
bus, multos tollere animaduertatur. Hoc pe-
riculum in Nouenario, quem Plato, Philoso-
phorum sanctissimus, inter climacteres intro-
duxisse*

AN QUILIBET VIVAT

duxisse videtur, fuerit anno etatis, octuagesimo primo. Nouenario enim quadrato, ipse vitam humanam consumari existimauit, quem terminum, quam pauci nostro tempore attingant, notum est. His addendus est numerus, qui ex utroque, septenario videlicet, & nouenario, multiplicatur, quiq; ad corpus & animam pertinet, ut est sexagesimus tertius. Nam & hunc annum, maximarum esse virium, periculosissimumq;, & maxime cauendum, docent. Ego tamen sic iudico, etiamsi utrunque quidem, supra dictum contineat numerum, neutrum tamen quadratum habet. Et ut ab utroq; non alienus, ita in neutro potens, nec multos sane is quoq;, quos vetustas claro nomine celebrat, hic annus absunxit.

Absumsisse tamen ferunt Aristotelem?

Aristoteles, naturali infirmitate stomachi, crebrisq; morbidi corporis offensionibus lesus, animi virtute, diu corpus sustentauit, ut mirum sit, eum ad sexagesimum tertium annum vitam produxisse, atque ideo minime mirandum, quod ultra non protulerit. Idem, de Cicerone dixerim.

Sunt

Suntne plures tales anni fatales,
& præ cæteris formidandi?

Omninò. Nam & similes sunt: vigesimus primus, quadragesimus secundus, octuagesimus primus, & octuagesimus quartus, & nonagesimus primus annus.

Meritò ergò quis lætetur, si fortè,
& quoties limites, talium annorū
climactericorum, egressus fuerit?

Non immeritò quidem. Sic Augustus Imperator, lætatus est, Tranquillo teste, se annum climactericum iam euasisse. Et ad Caluissium Plinius: Habes, inquit, climactericum tempus, sed euades.

Vanum idcirco est sperare, velle
quenquam, nostro æuo, centum
annos superare, ne dicam, centum
& viginti?

Vanum ut plurimum. Exemplis namq; experimento, ac longis obseruationibus comprobatum est, neminem ferè nostro æuo, aut perquam raros, post Noæ diluuium, centum, aut centum & viginti, annos excessisse. Loquimur hic de communiter accidentibus, cum videamus rarissimè contingere, ut quis dictos annos excedat. I. neq; natales. C. de proba-

AN QVILIBET VIVAT

ba. Nam in ultima iam mundi aetate sumus. Quare totus mundus veterascit, senescit, & corrumpitur, multumq³ distat a suo principio.

Senserunt ne quidam olim contrarium?

Ab Aegyptijs creditum, ob humani cordis defectum, non posse homines, ultra centesimum annum vivere. Hæc Plinius, ad Vespasianum Augustum in Trebellio, ad Constantium Imperatorem. doctissimi Mathematicorum, centum & viginti annos homini, ad vivendum inducunt & concedunt, neque amplius cuiquam concessum esse dicunt. Adijciunt, Moſen ipsum, ut Iudaorum libri testantur, Dei familiarem, viginti quinque, & centum annos vixisse, & non amplius, qui cum interitum hunc, ut immaturum, forte quereretur, serunt, ab incerto Numine, responsum esse illi, Neminem mortalium deinceps, eum terminum, vivendo egressurum, aut superaturum. Ex Iosephi Historia quoq³, & Firmiano, cæterisq³ Sacrarum rerum scriptoribus, liquet, hominum vitæ tribuisse veteres viginti annos, supra centesimum.

Quare homo non vivit in infinitum?

Immortalem facere suum hominẽ, si possibile

sibile fuisset, natura conata esset, quod tamen non permisit materia. Deus enim, qui sit benedictus in aeternum, corpus hominis fecit, ex arterijs, venis, materijsq; dissolubilibus, non durabilibus, neque stabilibus. Quare sic compositum hominem, non fuit possibile, incorruptibilem fieri. Homo quippe, a natiuitate, in senectã usq; desiccari non cessat, donec nihil fiat. Humana etenim caliditas, post tempus consistendi, minui incipit.

Quidam tamen sunt, qui dicere ausi fuerunt, hominem omnino insenesibilem permanere posse?

Sunt. Atque ideò Galenus de tuen. san. Marasmmum Philosophum, quadragenariũ, hoc nomine, grauiter reprehendit & increpat, quòd hominem esse insenesibilem, ausus fuerit in scriptis prodere, qui tamẽ ipse senex octogenarius, postea seipsum corrigens, dixit: Non omnes posse insenesibiles esse, sed eos tantummodò, qui optimè à natura, & in id constructi, ac diligenter, solideq; formati, aptiq; essent. Nullum enim animalium, insenesibile visum. Nec enim immortalitatis filius, homo est. Eccles. 17. Et quis est homo, qui uiuet, & non videbit mortem? Psal. 88.

Potestne terminus mortalis vitæ elongari, produciq; Medicinis?

C Sene-

AN QUILIBET VIVAT

Senectutis tabem, impossibile est prohibere, auxiliari autem, & quam longissimè extendere, eiusq; festinationem detinere, possibile est, præsertim in illis hominibus, qui præstantissima sunt nature, corporisq; optimè comparati, atq; quam rectissimè constituti, inq; id apti. Hinc versus extant:

*Sed Medicū præstans ars naturæq; ministrū,
Finem contingas qua ratione docet.*

Atq; ideo ætates, numero terminato, certo assignari non possunt, quia vitæ hominis termini, complexionum diversitate, sunt valde diversi. Et paucissimi hodie, morte naturali obeunt, Diætæ & Regiminis erroribus. Nimio enim cibo, potu, balneis, mollibus lectis, somno, & similibus, cor, epar, atq; ut uno verbo dicam, omnia, totum corpus exhumeatur, ut sic dicam, & desiccatur. Aliquando etiam fit singulari quadam Dei voluntate, & occulto ipsius iudicio, consilioq;, ut illi, qui longissimam sibi promittunt vitam, Diætæ, sobrietatis, & temperantia suæ cōfisi, nonnunquam subito casu decidant, intercantq;, sicut multos vidimus, & quotidie videmus: Joannes Papa vigesimus primus, Anno Christi 1277. cum sibi longissimam promisisset vitam, Camera ruina perijt. Non enim vivimus tantum causis Physicis, sed omnia Creatoris

coris sui nutibus obediunt, & quaecunq; Dominus voluit, fecit, in caelo et in terra. Scriptum est: Ego sum vita tua, & longitudo dierum tuorum. De anno itaq; ultimo, die, vel hora, nemo scit, dicente Christo, *Jeiuuate, vigilate & orate, Nescitis enim, qua hora Dominus venturus sit. Quapropter oportet et nos, omnibus modis incertos, Dominum venturum, expectare, in omnes annos, dies, horas, & momenta. Veniet namq; tempore, quo non opinamur.*

Ergo, si quispiam vixerit, ultra centum annos, Medicæ arti attribuendum est?

Hippocrates ad Democritum, inquit, Medicæ artis rectè facta, plurimi hominum non penitus probant. Dys enim accepta ferunt omnia. Medicam autem artem, neminem penitus nouisse, dixere nonnulli, ne Esculapium quidem, eius inventorem, qui in multis Palinodiam cecinit.

Qua arte & ratione, maiores nostri, vixerunt diutius, quam nos iam viuere possumus, naturaliter obierunt, & in morbos minus inciderunt?

Hæc quaestio superius explicata est. Diximus enim, Temperantia & Sobrietatis beneficio, maioribus nostris, longius et sanius eum, quam nobis contigisse. Abstinencia namq; grauissimi nonnunquam morbi tolluntur.

AN QUILIBET VIVAT

Et quod Poëta dixit. Paruis, minimisq³, natura est contenta. Paucis quippe illa intentis nutrientibus, cōmodius faciliusq³, concoquit. Tempore Hippocratis, vivebatur parcius, huius temporis filij viuunt in delicijs, luxuria, gula, ciborum & potus suauitate. Hinc podagra, alyq³, morbi hereditarij comitātur, spermate maculato, ut inde nati, parentum suine causa, duplici nomine langueant. Antiquiores, sanior ratione, parco è contra alimento, paruoq³, victitabant, nec superfluis utebantur. Non erant, ut nos sumus, luxuriosi, curiosi, morosi, liuidi, sed temperantes, abstinentes, faciles, humani, mites & mansueti, beneuoli & benefici, Suo, & paruo, contenti. Inde hi extant versus:

Ille est beatus, qui omnibus curis vacat,
Nec alteri, nec sibi præbet negocium.

His addendum est, Si quis & ueneris vacet ac abstineat, quibus qui utuntur, non facile sapientia uti possunt, Socratis commentatore teste. De Vino idem esto iudicium.

Vinum, salutare esse homini arbitrabar, quòd Lac Senum dicatur?

Modico Vino utere, inquit Paulus, propter stomachum. Vinū enim stomacho prodest, modicè sumtum. Loquimur autem hic,
de

de abusu Vini & ingurgitatione, qua prohibetur. Nam quod lege symposiaca traditum est: Prima cratera, facit ad sitim, Secunda ad hilaritatem, Tertia, ad ebrietatē, Quarta, ad insaniam, inde est, quod nimius Vini potus, cerebrum ledit, mentem corrumpit, pessimiq; ex eo fiunt totius corporis morbi, parturit maniam, & amentiam, Podagram, Chiragram, & similia. Atq; inter cetera, vel sexcēta mala, inquieta etiā facit somnia, mentem vigilis nocturnis caliginosam, oculos conuulgentes, & lippos. Potor autem aque (cereuisia tenuis fortasse, apud Saxones & inferiores Germanos dixeris) semper est sobrius, sui compos, vigil, quietus, suauiter dormiens, & in ipso somno Vaticinatur. Mens nim, non suffocata Vino, quacunq; somno presagit, facile discernit, & colligit, unde somniorum Interpretes, sola matutina somnia, interpretatione digna existimarunt. Et Amphiarus, summus apud Philostratum, Graecorum vates iussit, ut Sacerdotes, qui responsa clara & dilucida accipere, & syncerè reddere vellent, à cibo, integrum diem, à Vino autem, triduum abstinerent, quòd non rectè vaticinari anima posset, nisi à Vino, ciboq; liberata esset. Sobrijs enim animis, ac religioso, diuinoq; cultui vacantibus, Dy oracula

AN QUILIBET VIVAT

tribuere solent. Hinc Paulus, ad Ephes. Noli-
te inebriari, inquit, *Vino*, in quo est luxuria.
Et iterū: Oportet Episcopū esse Doctorem, nā
vinolentū, sed sobriū. Item ad Titū: Sobrius
esto. Vult etiā Diaconos, non multo *Vino* de-
ditos esse. *Mulieres* similiter sobrias. Senes
quoq, inquit, sint sobrii, Anus, non multo *Vi-*
nno seruientes. Sint etiā adolescentes, & iuue-
nes, iuxta Pauli doctrinam, sobrii.

Quæ est ratio, quòd Paulus omnes
status, ordines, & hominū ætates,
vult esse sobrias?

Apparuit enim, inquit ille, *gratia Dei, &*
Saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudi-
diēs nos, ut abnegātes impietate, & secularia
desyderia, sobrie, iuste, & piē viuamus in hoc
seculo, expectantes beatā spem, & aduentum
gloriae magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu
Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut
nos redimeret ab omni iniquitate, & munda-
ret sibi populū acceptabilem, sectatorem bo-
norū operū. Plura in Sacris literis extāt te-
*stimonia, quibus monemur, ne *Vino* ingurgi-*
temur. Sufficiens est, inquit Ecclesiasticus, ho-
mini erudito, vinum exiguum, & dormiens,
nō laborabis ab illo, nec senties dolorem. Mul-
*tos enim exterminauit *Vinū*. Et quæ est vita,*
*quæ nō minuitur *Vino*? *Vinū* multū pota-*
tum,

sum, ruinas multas facit, & est amaritudo anime. Esaias quoque, in hac verba prorumpit: Hi pro Vino nesciuerunt quicquam, Sacerdos & Propheta absorpti sunt a Vino, errauerunt in ebrietate. Facit enim vinum stolidos, etiam sapientissimos quosque, ut scurriliter, immensesque rideant, velut pueri saltent, ineptiant, & sint ridiculi, utque nonnunquam verbum dicant, quod non dixisse, melius fuisset. Nam intemperanter viuentes, nihil ferè rectè faciunt, aut dicunt. Vnde Poëta:

Multa bibens, tum multa vorans, malè denique, dicens Timocreon Rhodius.

Quis ergo, sane mentis, non iudicet, nimum Vini potum, vitandum esse. Vinum enim, magna quantitate sumtum, licet bonum & odoriferum, frigidi morbi causa existit. Vnde Ambrosius, Maior vis Vini, inquit, quam veneni. Et Androcydes ad Alexandrum, cum Vino ingurgitaretur, Rex, ait, memento, te sanguinem terra bibere. Nam sicut venenum est homini cicuta, sic & cicuta peius, Vinum. Nam venenum veneni, à quibusdam dicitur.

Quibus autem cibarijs vtendum?

Leuibus, tenuioribusque cibarijs vescor, inquit Apollonius, mihi longe iucundioribus, quam alijs sunt lauta et apparatusissima dapes. Frugalitas enim admirabile quaedam, arcanaque perspicacia

AN QUILIBET VIVAT

sensibus tribuit. Et Sophocles dixit: Quotquot Philosophantes excudunt aliquid, ante omnia, ventri ut dominantur, decet. Magistra namq̄, consiliorum, est prudentium frugalitas, sine qua, nihil pulcrum dici, aut fieri potest. Atque ob id Socrates quoque, minimo vixit sumtu, aliq̄, innumeri sapientum. Hieronymus allegat patrum exempla. Adam, inquit, ieiunus, Paradisum habitat, satur, eiectus est. Moses, ieiunus in monte legem accepit, populus verò satur, vitulum cōflatilem fecit. Niniuita, iram Dei ieiunijs vitarunt. Daniel, ieiunus responsa Dei accipere, lacumq̄, leonum superare meruit. Loth, Sodomitas sobrius vitavit, idem ebrius filias vitavit. Noe, in arca ieiunus servatur, extra potans perijt. Et Holophernes, ebrius à Judith mactatur.

Vulgus hominum hodie adorat Trinitatem, quam omnis pius abominatur, non illam quidem sanctam & Christianam, sed Diabolicam & maledictam. Ludum, videlicet, Gulam, & luxuriam. De ludis & vanitatibus, quibus hodie homines student, satis constat. De gula & ebrietate copiose dixisti. Si placet, audiam quoq̄, aliquid, de luxuria.

Facit

Facitne aliquid etiã ad rem, luxuria, vt deficient corpora, & nõ per-
tingant ad patrum nostrorum an-
nos, centum aut vltra?

*Facit omnino non parum. Nam puer
hodie puerum generat. Sperma enim, etsi
decimo quarto anno gignat, non tamen est
forte, nec mares generat, nisi post vicesimum
secundum annum, ita vt antè luxurians, de-
bilitetur & pigrescat.*

Debetne ergò vicesimo secundo
anno ætatis suæ, iuuenis vxorem
ducere?

*Si circa hoc tempus, iuuenum corpora,
Veneri adsuescant, dum adhuc semen in eis
augetur, crescere impediuntur.*

Quando igitur vis, iuuenes duce-
re vxores?

*Masculos matrimony iura non adsperna-
ri, & vxores ducere conuenit, circiter æta-
tem annorum sex & triginta. Tunc enim se-
men est forte & consolidatum, in corporibus
marium, nec amplius imperfectum, sicut tam
in hominibus, quàm omnibus alijs animanti-
bus, iuueniles fetus, sunt imperfecti, & imbe-
cilliores.*

C 5 Quan-

AN QUILIBET VIVAT

Quando vis, puellas nuptui dari?

Circa etatem octodecim annorum. Et si enim viripotentes sunt puella, annis etiam superioribus, tamen prodest, nuptias puellarum produci, quod in partu laborent plerumque magis puella, ac pereant plures. Ad continentiam quoque utile sit, nuptiis serius dari, quod intemperantiores esse videantur puella, si Venere prius adsueverint.

Suntne & aliae rationes causaque, quare utrinque conducatur, puellam decimo octavo anno nubere, & masculum trigesimo sexto anno aetatis suae, uxorem ducere?

Sunt. Nam & hoc tempore, vigentibus corporibus, utrinque conveniunt & coniunguntur puella & masculus, ac procedente tempore, simul apte desinent procreare seu gignere posse maritus, & uxor prolem suscipere.

Venere nimia, valde adtenuantur masculorum corpora?

Verum. Inde versus est:

Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora nostra.

Atque ideo, non sine gravi consilio, lex Solonis sanxit, cum longius abstinerent, ut ter in mense omnino congregaretur vir cum uxore.

Hoc enim congressu putabat corpus & sanitatem

tatem viri non laedi, & ad propagationē speciei, prolisq; sufficere.

Multū quoq; ad rem faciunt curæ, vt hominis vita abbreviatur. Cura enim domestica, & aliquando paupertas, plerosq; afficit, vt contabescant, & eo citius tandem pereant?

Curas tolle graues, praecepit Salernitanus quidā. Idcirco rectè abs te dictū, curas interimere multos. At interdicitū nobis est, nō modò à Medicis, sed et à Medicorū Medico, Salvatore Christo, ne afficiamur curis huius seculi, sed simus cōtenti modico, quo natura benè est cōtenta. Qui enim modica spernit, paulatim decidit, inquit Ecclesiast. In diem nos vivere, Christus docuit, & promisit quotidianū panem, quo nos contentos esse conuenit, nec amplius de crastino anxius curare. Sufficit enim crastino diei malitia sua, qua ad nos nihil. Paulus egregiè dixit: Nihil intulimus in hunc mundū, haud dubiū est, quia nec auferre quid poterimus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his cōtenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in temptationē, & in retia, laqueumq; Diaboli, & in desideria multa inutilia & noxia, qua demergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum, est cupiditas
& aua-

AN QUILIBET VIVAT

& auaritia, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Melior namq, est, pauper sanus & fortis viribus, quam diues imbecillis, & flagellatus malitia. Et alibi: Salus animæ, in sanctitate iustitie, melior est omni auro & argento, & corpus validum, quam census immensus. Non est census, super censum salutis corporis, & non est oblectamentum, super cordis gaudium. Vnde Stoici, tria potissimum à Dijs rogabant: Bonam mentis, Bonam animi, Bonam corporis, valetudinem. Hinc Iuuenalis:

tria
stoicis.

Orandū est, ut sit mens sana in corpore sano.

Fortē pasce animū, mentis terrore carentē,
Qui spacium vitæ extremum, inter munera
ponat

Nature, qui ferre queat quoscunq, labores.

Fortasse veteres, ea quæ dixisti, omnia, obseruarunt, & ideo in morbos minùs inciderunt, & tandem, post plurimos vitæ exactos annos, naturali & matura morte obierūt?

Antiquitùs regiminis bonitate, & vite frugalitate, Viniq, abstinentia, aut morbi non erant, aut rariores omnino erant, & curabantur faciliùs, quòd robustiora haberent corpora, quare & fortiora tolerare pharma-

ca

capotuerunt. Hodie homines in morbos frequentius incidunt, & vix debiliora tolerant medicamina. Sed maiorum nostrorum mores corrumpit Oriens, nostros verò Occidens, ut nō consideremus, aut perpendamus, quantum bonū sit abstinentia. Abstinentia enim, consumtis superfluitatibus humorum, reddit corpus nitidū, splendidumq̄, nec non pulcherrimè coloratum & habile, instillatq̄, toti corpori, candidissimum, sensibilem, ac motuum cerebri spiritum, qui suos passim obseruatores, contra vitia, & malos Demones, familiariter munit atq̄, tuetur, & quasi templum Dei, incontaminatum reddit, animum mentemq̄, Deo coniungit. Et reuera, nihil ad sanitatem, complexionisq̄, temperantiā, melius est. Plurimi enim, per cibi, potusq̄, parcitatem, animi sanitate simul, & corporis agilitate, visi sunt, facie splendidi, & corpora sua, velut spiritum, ad nutum facile ducentes, velut Moses & Helias. Et Pythagorici, mensam sacram, & sobriam seruabant, temperantia vitam protrahentes. Et dum nullo superantis humoris tumultu corpori illato, singuli tum animi, tum corporis motus moderati fuerunt, perpetuam vtriusq̄, sanitatem, atque diuturnam vitam sibi pollicebantur.

Qui

AN QUILIBET VIVAT

Qui homines, mares, vel feminae, centum annos, vel ultra, vivere possunt?

Supra quoque, haec questio aliquo modo mota est. Et respondetur, quod corpus commensurate dispositum, optimeque constructum, habitum medium, neque crassum nimis, neque matrum, bene carnosum, per omnia moderatum, bene proportionatum, temperato rubore et albedine mixtum existens, sit sanum semper, maximeque ευκρασιον, calido, frigido, sicco, et humido, commensurata crasi, optime comparatum, cuius uniuersae partes, concinna membrorum symmetria, sibi inuicem equaliter correspondent, pulcro corpore, optimas habente conglutinationes et compagine. Et quidem manifestum est, ex ipsa eiusmodi corporis ευκρασιον, difficulter hoc ipsum corpus, ita, ut diximus, dispositum, et optime preparatum, postquam bene operatur, in Craseos distemperantiam et imparitatem incidere. Atque ideo, ad passiones, labores, et morbos, minime facile Ens occupabile existit. Quocirca Iram, et Tristitiam, sollicitudinem, frigus, aestum, pluuias, siccitates, pestilentias, et omnes simpliciter dicendo, aegritudinum causas, tolerabit facilius, quam alia corpora.

Quid, si in his corporibus, quae dicis, superfluitates a cibis coaceruentur?

Cor-

Corpora, eo pacto, ut diximus, optima elementorum proportionem, ac diuisionis equalitate constituta, & à contrarijs maximè distantia & remota, non facile à superfluitatibus, si quæ à cibis oriuntur, occupantur. Et si qua tamen fortè omnino *κακοχρησία*, aut simile quid vitiosum, coaceruetur, non nocet coaceruatio. Ratio est. Nam commensuratio naturalium actionum ad se inuicem, & qua secundum unamquamque ipsarum virtus est, & fieri superfluitates prohibet, & factas, excernit facile, atq; si omnino aliquandiu permanserint, minimè vnicitur ab eis. Ab egritudinum enim causis, facile vinci, imbecillibus & discreticis naturis conuenit. Resistere autem, in temperatis naturis, tribuitur Eucraticis & fortibus, qui suorum ciborum quantitatem metiuntur, imò tantum appetunt, quantum digerere possunt. Hæ nimirum natura, reliquis maximè sunt longæua & durabiles. Et Philosophus testatur, calidam & humidam temperiem, quam sanguineam vocant, rectè uiuentem, omnium maximè longæuam esse. Nihil enim magis, quam calidum, & humidum, vitam tuetur & colit. Atq; ideò longæuus maximè est, qui minimè desiccatus & infrigidatus fuerit. Vita enim in calore & humore consistit, caliditate et humido dominante.

Bre-

AN QVILIBET VIVAT

Breuioris vitæ, qui sunt?

Breuioris vitæ, natura sunt, quorum temperies, frigida est, & sicca. Sequuntur hos, quorū complexio est, frigida tantum. Postea, sicca tantum. Dein, frigida & humida. Iterum, calida, & sicca. Post, humida tantum. Hanc sequitur, calida tantum.

Ad longitudinem vitæ, quænam terra laudatur?

Aristoteles, cum tractat de longitudine vitæ, laudat terram calidam, mari vicinam, propter humiditatem & caliditatem ipsius. Fuere apud veteres, & hodie sunt, qui non idem cum Philosopho sentiunt.

Non facile quisquam, eorum, qui hodie viuunt, centenarium annorum numerum, viuendo cōsequatur. Atq; ideò ridendum se plerisq; propinabit, si quis opinionem, de centum annis facile attingendis, mordicùs propugnare velit, & defendere?

Non facile quisquam ad ætatem centum annorum, perueniat, fateor. Atq; ideò si quis hanc opinionem, de centum annis facile consequendis, mordicùs defendere, & fortasse contendere velit, insaniam esse & furorem,
in di-

inducunt multi. Nam & Democritus olim
 à suis, hoc nomine reprehensus est, cum Hip-
 pocratem accersissent, ad insaniam illius cu-
 randam, quem tamen Hippocrates, re com-
 perta, omnium esse sapientissimum asseruit.
 Sed tamen, si verè iudicare voluerimus, lau-
 dandi potius, quam vituperandi sunt, qui stu-
 dent humani generis vitam, victus & Diætæ
 ratione iuuare. Hoc enim certum esse, Philo-
 sophi tradidère, et si cum sacris literis non o-
 mnino consentiat, quòd non sit omnino, &
 precise, cuiq; terminus prefixus, quem neces-
 sario consequi oporteat, sed esse potius con-
 tingentem, ita ut vitæ Periodus protelari &
 extendi possit, quod fit, si optima sit & san-
 guinea complexio, in qua rectè viuatur, &
 homo curis domesticis, alijsq; molestis & ve-
 xationibus, transuersum, sursum atq; deor-
 sum actus, & instabilis fortune fluctibus fa-
 taliter iactatus, non conficiatur, quod tunc
 ultra annos octuaginta, ne plus dicam, pro-
 gredi possit, quanquam inueniantur & no-
 stro tempore, licet pauci, qui centum, & eò
 amplius annos attingant. Verùm, ut supra
 dictum est, Deus est longitudo dierum no-
 strorum, in ipso viuimus, mouemur, & su-
 mus. Numerus mensium nostrorum, apud

D Deum,

AN QUILIBET VIVAT

Deum, & illi soli vitæ humane terminus re-
servatus est.

Commemora mihi aliquot ex-
empla antiquiorum, qui ante &
post Noæ tempora, centum, & eo
amplius annos, egressi sunt?

Plurimi, ante Diluuium, nongentos at-
tigerunt annos, nemo tamen ad millenariū
peruenit. Adam & Eva, primi parentes, vi-
xere 930. annos. Seth, annos 912. Cain,
910. Enos, 905. Malalehel, 895. Iareth,
962. Enoch, iustus ille, cum Helia, in Para-
disum viuus translatus, 365. Mathusalem,
969. Hic omnium maximè senex legitur,
quod ad annorum multitudinem attinet, in-
ter eos, quos Scriptura commemorat. Cū
enim 500. annos haberet, dixit ei Domi-
nus: *Ædifica domum, si vis, quoniam adhuc
circiter 500. annos viues. Respōdit illi: Pro-
pter tantillū temporis, nō ædificabo domum.
Atq; sub arboribus & circa vepres, ut prius
consueuerat dormiuit. Lamech, annos 777.
vixit. Noæ, ante Diluuium vixerat, 600.
annos, & post Diluuium vixerat 350. Ita,
ut vitæ totum tempus fuerit, annorum, 950.*

Ianus.

CENTVM ANNOS. 21

Ianus, 800. annos superauit. Frater eius Sem, qui fertur fuisse Melchisedech, à quo, post Diluuium, primò condita est Salem, Hierusalem postea dicta, vixit annos, 600. Arphaxat, à quo descendunt Chaldaei, 338. Sale, à quo Sarmatae, & Indi, 433. Hebor, à quo Hebraei, 467. Phaleg 239. Rennel Ragau, 302. Saruch, 230. Nachor, 148. Thare, 205. Aram, pater Loth, 205. Abraham, Thare filius, 175. Et Sarai, eius uxor, diu sterilis, diuina tandem gratia, ut Nonagenaria, Isaac filium pareret, fecundata, vixit annos, 127. Isaac annos superuixit, 180. Iacob verò annos, 184. Leui, 137. Caat 133. Amram, 137. Iob, sanctus ille vir Dei, auctoritate Gregorij, Lira, & aliorum Ecclesie Doctorum, post flagella, vixit annos, 140. Moses, vixit annos 120. de quo Scriptura testatur, quod nondum eo tempore caligauerint oculi illius, nec dentes moti sint. Ioiada, summus Pontifex, vixit annos, 130. Ianus, Regum Indiae primus, ultra 800. annos vixit. Nestor, 300. attigit. Titus, Pauli discipulus, annos 201. vixit.

D 2 Quan-

AN QUILIBET VIVAT

Quando iam eò deuentum est,
recense nonnullos, qui nostro ad-
huc æuo recentiori, vltra annos
centum vixere?

*Armiger quidã Caroli Magni Impera-
toris, circa annum Christi, 1106. vixit
annos 361. Hinc est Versus:*

*Et quem fama refert hyemes vidisse tre-
centas*

*Thomas Philologus, Medicus Rauenna,
qui nostro tempore scripsit, meminit cuius-
dam Presbiteri Florentini, quem ipse nouit,
qui attigit annos 123. Nominat quoq; Vin-
centium quendam, Confessorem, natum an-
nos 120. Alium item, annorum 324. Sic &
Romualdum Rauennatum conciuem suum,
Eremitam nominat, qui annos, 120 habuit.
Patritius secundus, Niuernensis Episcopus,
dicitur ab eodem, annos excessisse 122. Za-
conus quidam, anno Christi 1536. vixit an-
nos 130. Apud Venetos, eo ipso iam dicto
Christi anno, visus est miles quidam sexage-
narius, qui patrem, anuum, & proauum ad-
huc habuit. Quam his etatem tribuendam
putabitis? Anno Domini, 1521. visus est in
Vngaria aliquis equorum domitor, annum
agens*

agens 125. qui adhuc equo corrente, absque
 omni incommodo ferebatur. Et inueniuntur
 adhuc hodie, etsi perpauci, qui moderatè,
 temperanter, & sobrie viuentes, tanta alios,
 in cibo, potuq; abstinentia superant, ut ad
 satietatem nunquam comederint, aut bibe-
 rint, nec crudum quicquam vnquam gusta-
 uerint, unde factum, ut odoriferum semper
 anhelitum spirarint, quos ego etiam, fide di-
 gnorum relatu, meo auo, centum & vigin-
 ti, aut circiter, annos attigisse percepi. In
 mea quoq; familia habui quosdam, qui octo-
 gesimum annum consecuti sunt. Quidam &
 ultra processerunt. Proauus meus Paternus,
 cui Henrico nomen fuerat, 120. annos ex-
 cessisse, annotationibus quibusdam maiorum
 meorum, quasi per manus, proditum est.
 Aniam maternam noui, que ab annis 90.
 nõ procul aberat. Beca etiam, è Barscampio-
 rum nobili familia, proximo loco, patrem
 meum, agnationis iure, attingens, que me
 sacro Baptismatis fonte leuarat, & postea
 educarat, perpetua virgo, pulcerrimo &
 firmo corpore semper ad extremam vsque se-
 nectutem ferè, sui similis, centum annos con-
 secuta est, quod ex ipsius ore ego, cum mul-
 tis alys, me audiuisset, memini. Sed quid hæc

AN QUILIBET VIVAT

ego de meis, refero? Non est dubium, alios quosdam, idem de suis narrare posse. Nam non desunt exempla, hoc etiam presenti seculo. Et non possum quidem, quin unum adhuc atque alterum, in medium proferam exempla, quæ in mentem mihi nunc veniunt, & quæ ipse meis vidi oculis. Atq; primum adeò, in Imperiali civitate Lubeca, ubi mercatorem quendam novi, Lucam nomine, omnibus exutum bonis, quòd ære alieno gravatus esset, hic vitam privatam & servilem agere incipiebat, apud viduam, sed bonam matronam, quæ in publico habitabat diversorio, ubi Lucas consenescebat, inseruiendo hospitibus, mercatoribus, nobilibus, & alijs, cuiuscunque conditionis hominibus, eratq; omnium horarum homo, oblitus malorū pefforum, atque ideò hospitibus charus & gratus. Assequebatur autem, centum & decem ætatis suæ annos, quod ipso referente didicimus, multis testibus. Nondum erat decrepitus, nec talis, ut pedes, aut manus, suum officium amplius non facerent, cum moreretur.

Addam huic quiddam non absimile, de Lamperto Straus, ciue Dantiscano, Socero Nobilis & Clarissimi viri fratris mei germani

ni dilectissimi, D. Martini Cnaustini, V. I. Licentiari consultissimi, is quoque cum vitæ excederet, non multum admodum à centum & decem annis etate absuit, senex non attenuatis & consumtis viribus, ut senum vulgus videri solet. Nam ipse bonum senem familiariter in vita noui. Hinc constat, hoc etiam nostro tempore, fieri omnino posse, ut quidam temperantiores, si non planè centenum annorum spacium attingant, ad proximos saltem annos perueniant.

Quare paucissimi, nostro æuo, ultra centenarium viuendo procedunt?

Suprà diximus, quæ huius rei causa sit, nec opus est repetere. Multa quippe sunt causa, quæ nos remorantur, eò etatis progredi, quò maiores nostri progressi sunt. Legant studiosi libellos passim extates, doctissimorū virorū, de sanitatis habenda & cōseruanda cura, D. Joannis Curionis, & amici mei singularis, celeberrimiq; viri magnifici & clarissimi Medici, Physici Dantiscani, D. Doctoris Ioannis Placotomi, et aliorū plurimorū, in quibus hæc doctrina copiosè extat. Nos Iureconsultū agētes, tantū mouere questionē volumus, An

D 4 possi-

AN QUILIBET VIVAT

possibile sit, hominem centum annos vivere, aut ad decem, vel viginti, ultra centum, vivendo procedere posse, sicut Regula Iuris presumit, Hominem centum annos vivere posse, Si ergo centum annos vivere homo potest, quid ni & ultra vivat, si Deus concedat, sitque optima & Sanguinea complexio, nec non moderata Dieta, ut supra saepiusculè iam dictum est. Bisariam enim, teste Galeno, sanis Dieta datur. Aut, ut custodiatur, aut augmentetur, aut confortetur virtus. Cibus ergo crassus, auget, moderatus, custodit, subtilis, minuit virtutem, atque ideo sanis cavendus. Et quia cibo confrente, animus fit constantior, toties quis edat, quoties adsuevit, & cibis quibus adsuevit, vescatur. Calidis enim & siccis naturis, ieiunium causa est febrilis distemperantia.

Atque ideo sciendum, quòd consuetudo naturam, & natura consuetudinem conserunt. Magni enim momenti res consuetudo est, ita ut dixerint quidam, consuetudinem esse alteram naturam, alij, secundam naturam, alij verò, acquisitivam naturam. Et Poëta vox est, Vsq; adeò à teneris adsuescere multum est. Atque hæc, quæ de consuetudine diximus, vsq; adeò valent, ut etiam
pravo

prauo aliquo usu, seu consuetudine mala, subito abolita, ad vitam incommoda, & ad interitum usque viderimus adductos eos, qui subita mutationi intenderint. Subita enim mutatio, noxam infert, & plus detrimenti, consuetudinis mutatione, quam adiuventi, recto viuendi more, multorum exemplis consequimur. Atque ideo oportet, per tempora dissuescere potius, quam repente abrumpere male consuetudinis funem. Nemo nanque repente ad summa prouehitur, sed longa die, & pedetentim ascendit. Sic, si quis, velut Epicuri de grege porcus aliquis, voracitatis & ebrietatis malam consuetudinem ac ingluuiem, subito relinquat, non est dubium, quin subita illa mutatio, multum incommodi sit illatura ei, qui subito procedit, & non sensim, seu pedetentim mutationi studet.

Perge, si placet, sic Philosophari. Sunt enim iucunda pariter, & salutaria, quæ dicis?

Proinde, si inter longæuos censeris cupis, necesse est, ut corpus quoque, à nimio calore, frigore, & labore, si quis non consueuerit, eodem modo & ab ira ac indignatione,

D 5 tristi-

AN QUILIBET VIVAT

tristitia, & similibus passionibus, à vigilis, & repletionibus, custodiatur & conseruetur. Complexio enim hominis, subito aliquo casu immutatur, veluti exercitatione nimia, cuius usu calor, plus aequo intenditur aestibus, aut in frigidationibus. Atque ideò assueti, assuetos labores ferre debent. Iuuenes tanquam fortiores, suos labores, quos facilius tolerant. Senes, tanquam imbecilliores, item suos labores, non insuetos. Qui enim comedit, valere non potest, nisi laboret. Sed pro modo consuetudinis suae, ut dictum est.

Atque ideò labores precedant cibos. Vsus enim, robur praestat, ocium liquefacit. Contraria inter se sunt, cibaria, & labores, utraque tamen sanitati conferunt. Desidia corpus fractum, languet. Labore verò, corpus & animus exercetur. Quiete, & desidia, timiditas & ignavia crescit. Ocio, labores anoreponite, inquit Plato, nisi fortè rubiginem, splendori prestare putetis. Diuinus hic Plato, ebrietatem quoque, & somnum, valde detestabatur.

Delectant quidem mutationes, sed maximos gignunt morbos, praecipuè si sint subitae, ita ut ne Medicis quidem liceat, repente eas aggredi & instituere. Distant enim ab invicem,

uicem,

nicem, diuersitate magna, consuetudines, & Regimen, quod sanitatis dicimus.

Quidam habent eam consuetudinem, maximè senes, vt sint morosi, omni in re difficiles, Heautōtimerumeni, id est, seipso cruciātes, quam equidem consuetudinem minimè probo. Quid tu autem ad hæc?

Dum animus hominis afficitur passionibus, soluitur virtus animæ, passionum fortitudine. Nam animæ exercitium & motio, plurimum potest, vt multos, præ sola lætitia, animiq; exultatione, gaudio & facilitate, morbos euaserint. Multi etiam, præ mœrore, in lethales morbos inciderint. Neque enim vlla est tam vehemens corporis passio, quæ animæ affectiones vincat. Non igitur paruipendere oportet animi motus, imò longè magis obseruandi sunt, quam corporis motiones, labores, seu passionēs. Et nihil, hac parte, quod ad animi passionēs & affectus attinet, qui πάθος appellatur, efficacius et salutaris, quàm Musica, quæ præcipuè, morbos animi, diuina quadam virtute, lenire, ac sanare solet, vt supra quoque, ni fallor, meminimus.

Multū quoq; ad rem facit, scilicet, vt mi-

nica

AN QUILIBET VIVAT

ius infesta sint homini affectiones animi, minusve ledant passiones, si consuetudo tibi sit & conuersatio, cum illis, quos amas, quos diligis, quos facile perferre potes ac pati. Deligendi namque sunt, pares, & moribus tuis congruentes conuenientesque. Similes enim, similibus gaudent, & facile congregantur. Hoc pacto, natura optima, fit melior. Atque consentaneum est veritati, in genere nobili naturas esse nobiliores, hoc est, moderatiores ceteris. Sicut enim exercitationes corporis temperatae, bonum corporis habitum praestant, ita cibi, potus, & reliqua, temperate sumpta, prosunt homini quamplurimum, e contra vero facta, nocent plus, quam dici possit.

Oportet namque, labores, cibos, potus, Venerea, & similia omnia, mensurata & moderata esse. Excessus vero dissolunt virtutes. Et haec haec tenus. Quod desideratur, à Medicis petendum est.

Redeamus, vnde initium coepimus, eoque concludamus. Nimirum, quomodo supra dicta Iuris Regula, accipi debeat, ut nobis constemus, & finis initijs sit consonus, ac conformis?

Dixi-

Diximus supra, non esse prolixè disputandum, in allegata Regula discussione, de raris illis, quæ vix, aut nunquam, hoc nostro ævo contingunt, sed manendum in terminis eorum, quæ plerunque hodie & communiter accidunt, iuxta præsentem naturæ statum & cursum.

Atque hoc argumentum, à communiter accidentibus, valet & probatur. l. neque natales. Cod. de proba. & cap. i. Vbi Jo. de Imol. Panor. & alij notant. ext. de cleri. non resid. textus & gloss. in l. ideò. ff. de legibus. & l. quidam. §. nummularios. ff. de eden. gloss. in l. cum dotem. Cod. de iure dot. & l. i. Cod. de arbitr. in gloss. Bald. in l. conuenticulam. Cod. de Episcop. & Cleri. & in cap. fin. de caus. possess. & proprietat. Alexand. & Iason. in l. non hoc. Cod. unde cognati, ubi latissimè de hoc argumento, & plures limitationes tradunt, in quibus non procedit hoc argumentum.

Et prolixè per Hippo. Marsil. in singula. primo, incipiente, Argumentum. Et meminimus, statim in initio huius tractatus, quod repetendum hoc loco duximus, tanquàm Asterisco notandum, Argumentum à communiter accidentibus sumtum, utile videri, &

AN QUILIBET VIVAT

ri, & prodesse in eum finem, ac usum, ut onus probandi transferat in aduersarium, secundum gloss. in d. l. neque natales, quam legem in hoc ponderat Ludouicus Romanus, singul. 397.

Decius, in l. si emancipati. C. de colla. dicit, secundum naturam possibile esse, aliquem viuere centum annos?

Sic inquit, Licet secundum naturam possibile sit, aliquem viuere centum annos, non esse tamen verisimile. Simili modo dicit Baldus. in l. scriptura. C. de fide instrument. Non enim omnia possibilia, sunt verisimilia.

In quibus casibus non procedit dicta Regula?

Quidam limitant, predictam Regulam non procedere, si mors, vel vita alicuius, deducitur, incidenter. Tunc enim locum non habet supradicta presumptio, per allegata iura.

Estne hæc opinio recepta?

Alciato

CENTVM ANNOS. 27

*Alciato non placet. Ratio eius est. Nam
Ista presumptio habet locum, ubi principaliter
dubitatur, multò fortius, ubi incidenter.
Quia efficacius probant acta, deducta in ali-
quo casu principaliter, quam ea, qua dedu-
cuntur incidenter. l. à dino Pio. §. si super. ff.
de re iud. per Bartol. in l. qui Romæ. §. duo
fratres. ff. de verb. oblig.*

**Elapsis autem centum annis, nun-
quid præsumitur amplius?**

*Ultra centum annos, non præsumitur.
Centum enim elapsis annis, non præsumitur
aliquis amplius vivere. Hoc dictum, ut per se
verum est, ita non tollit generaliter difficul-
tatem. Sed ex Alciati doctrina, dicere pos-
sumus. Aut, vita est fundamentum agentis,
& illi incumbit onus probandi. l. Spadonem.
§. qui absolutus. ff. de excusat. tuto. Aut, nō est
intentionis fundamentū, & tūc procedit glos.
in l. fin. C. de sacrosanct. Eccles. qua tamen nō
inducit presumptionem veram iuris, sed po-
tius quandam suspicionem, unde ea tollitur,
per contrariam suspicionem, puta, orientem
ex dicto unius testis, vel ex fama publica.
Iuxta notata per Bart. in l. 2. §. si dubitetur.
ff. per*

AN QUIL: VIVAT C. AN.

ff. per quem testa. aper. & per Bald. in cap. i.
§. fin. qui feud. dare poss. in vsibus feud. Hæc
breuiter repetisse, animi gratia, sit sa-
tis. Reliqua, suis locis, apud Do-
ctores, requirat studiosus
Lector.

Τέλος, καὶ τῷ θεῷ δόξα.



VEHI-

VEHICV

LVM HVMANAE VI-

TÆ PYTHAGORICVM, PER

fatales numeros Septenarij, & Nouena-

rij, decurrens. Seu potiùs, Septenarij &

Nouenarij Climactericorũ, & fatalium

numerosũ, Examen, Myſteria, & Ratio-

nes, in Disputationem vocatæ, Multas

Philosophicas, & vtiles quæſtiones, ex

ipſo eruditionis Theſauro, depromptas,

complectentes, ſcitu dignas, & lectu iu-

cundas, Studioſis non infrugiferas, &

quod ſperamus, gratas futuras. In Cani-

cularibus, vbi in Iudicijs, & Scholis, fe-

riæ ſunt, & ab alijs grauioribus ſtu-

dijs ceſſatur, animi recreandi

& recolligendi gratia,

conſcriptas,

Ab

HENRICO CNAVSTINO,

Artium liberalium, & Philoſophia, nec

non V. I. Doctore, & Poëta

Laureato, &c.

E

Ad

AD REVERENDVM
ET ILLVSTREM PRINCI-

pem Reinherum, Abbatem, Prasul-
emq; Corbeianum, Henricus
Cnaustinus, V. I.

Doct̃or.

Septena placet numeri cognoscere sacra,
Quidue vehant annis fata tremenda suis.
Hæc in delitijs habeas, congesta labore
Non minimo, è veterum, perquã operosa, penu.
In tenui labor est, sed non tenuis labor ipse,
Qui conquirendus multiplici arte fuit.
Nanq; per immensam hic numerus se extendit &
Naturã, ac miro nomine tanta facit. Carctat
Ergò ne pigeat septena videre ferentem,
Doctrinis claudunt mystica multa suis.

VEHI-

VEHICVLVM HV-

MANÆ VITÆ PYTHAGO-

RICVM, PER FATALES NUMEROS

Septenarij, & Nouenarij, decurrens. Seu potius,

Septenarij & Nouenarij, Climactericorum, & fata-

lium numerorum Examen, Myſteria, & Rationes,

in Diſputationem vocatæ, multas Philoſophicas,

& vtilis Quæſtiones, ex ipſo eruditionis Theſau-

ro, depromtas, complectentes, ſcitu dignas, & le-

ctū iucundas, Studioſis non infrugiferas, & quod

ſperamus, gratas futuras. In Canicularibus, vbi in

Iudicijs, & Scholis, feriæ ſunt, & ab alijs grauiori-

bus ſtudijs ceſſatur, animi recreandi & recolligen-

di gratia, conſcriptas, Ab Henrico Cnauſtino

Artium liberalium & Philoſophiæ, nec

non V. I. Doctore, & Poëta

Laureato.

SEPTENARIJ CLIMACTE-

rici, Examen, Myſteria &

Rationes.

Septenarius numerus, quare in
admiratione, & in omnium penè
eſt ore?

*Ratio eſt, quia varia, & multiplicis eſt
potentia.*

Ex quibus numeris conſtat?

*Ex uno, & ſex, vel ex duobus, & quinque,
vel ex tribus, & quatuor.*

E 2 Vnitas

VEHICVLVM VITÆ

Vnitas in hoc numero, quomodo censetur?

Tanquam copula geminae Trinitatis.

Quid hoc mysterij est?

Hinc colligitur, si singula eius membra, eorumq; compagines consideremus, fateri necesse esse, eum tam ex suarum partium colligantia, quam seorsim, sua plenitudine, omni maiestate esse plenissimum.

Pythagorici, quomodo vocant hunc numerum?

Hunc numerum Pythagorici vocant, humana vite Vehiculum, quod non tam ex partibus suis mutuatur, quam totalitatis sue proprio iure, perficit.

Quare istuc?

Nam complectitur corpus, & animam Septenarius, & quia ex Quatuor, & Tribus constat, animam corpori coniungit.

Quaratione?

Quoad Quaternarium, quem Septenarius in se concludit, corpus complectitur. Constat enim corpus, ex quatuor Elementis, & quatuor qualitatibus afficitur.

Quoad Ternarium autem quid?

Si Ternarium consideres, complectitur

ans-

animam. Spectat namq̄, Ternarius propriè ad animam.

Quamobrem?

Propter triplicem eius vim, scilicet, Rationabilem, Irascibilem, & Concupiscibilem.

Quò præterea pertinet Septenarij vis?

Ad genituram quoque hominum, vis huius numeri pertinet.

Quapropter?

Nam hominem concipi, formari, edi, seu nasci, nutriri, viuere, & omnino constare facit.

Id mirum. Explica ergò seorsum, singulariter singula qua ratione id fiat?

Primæ ratio, Quòd, cum in aluo mulieris, genitale semen est, si per horas septem, absque effusione permanserit, hæsisse in vitam, certum est, in ijs, quæ natura non sunt steriles, cæteris paribus.

Secunda ratio, quæ est?

Audiuisti de conceptione, audi nunc etiam de formatione. Primis deinde septem diebus, coagulatur semen, sitq̄, ad recipiendam figuram, humani corporis, idoneum.

E 3

Ter-

VEHICVLVM VITÆ

*Tertia, quæ est?
Maturus infans deinde producit, qui septimestres vocatur, hoc est, qui septimo mense, nati sunt.*

Sed rarò supersunt, & diu viuunt, septimo mense nati?

Post partum deinde, an victurus sit infans, septima hora discernit. Vltra hunc enim numerum, qui Aëris halitum sustinuerit, intelligitur natus ad vitam.

Quid post hæc?

Post dies septem, iacet at reliquias Umbilici.

Quid porrò?

Post bis septem dies, incipit ad lumen, visus infantis, moueri.

Perge quæso?

Tertio dierum septenario, iam liberè oculos, totamq³ faciem vertit.

Dentationes, quando fiunt?

Post septem menses, fiunt dentationes:

Secundo mensium Septenario, quid?

Post secundum mensium septenarium, iam sine casu timore, sedet puer.

Tertio Septenario mensium, quid?

Post tertium septenarium, sonus eius, in verba prorumpit.

Quar-

Quarto mensium Septenario, quid?

Post quartum septenarium, stat firmiter, & ambulat.

Quinto Septenario mensium, quid autem?

Post quintum septenarium mensium, incipit lac nutricis horrescere.

De annis primis septem, seu de primo annorum Septenario, quid dicis?

Post annos septem, cadunt primi dentes, & nascuntur alij, ad cibum solidum aptiores, absoluiturq³ integritas loquendi.

De secundo annorum septenario, quid sentis?

Post secundum annorū septenarium, pubescunt pueri, fitq³ generationis initium.

De tertio annorum septenario, quid iudicas?

Ad tertium annorum Septenarium, crescit homo in longū, ostenditq³ flores, & languines, fitq³ genitura pollens atq³ robusta.

De quarto Septenario annorum, quid?

Vsque ad quartum Septenarium, crescit homo in latum, & consummantur incrementa statura.

VEHICVLVM VITÆ

In quinto annorum septenario,
quid fit?

*In hoc quinto annorum septenario, omne
virium, & roboris, completur augmentum.*

Sextus annorum Septenarius,
quid operatur?

*Sextus annorum Septenarius, vires seruat
collectionis.*

Septimo Septenario, quid
agitur?

*Septimo annorum Septenario, consumma-
tur prudentia, perfectamq; reddit hominum
etatem.*

Cum ad Decadas Septenas deue-
nitur, quid tunc?

*Ad Decadas septenas cum peruenitur,
ubi septenarius per numerum completū con-
ducitur, tunc metam communem viuendi
habet homo, dicente Propheta: Dies annorū
nostrorum, in ipsis septuaginta annis. Si au-
tem in potentatibus, octoginta annis, & quod
amplius eorum, labor, & dolor. Psalmo 89.
Id est, Dies vitæ nostræ, sunt septuaginta an-
ni, aut ad summū, octoginta. E quibus, quod
optimum, est molestia & labor. Transitus
enim celer est, & auolamus.*

Mirror

Miror tantæ virtutis esse Septenarium numerum, qui semper aliquid fert noui. Quid tu autem ad hæc?

Quid autem, nisi quòd compertum est, in septimo quolibet vitæ anno, fieri in corpore humano, maximas mutationes. His annis, qui ex Septenario & Nouenario, consummantur, certis de causis, quasi per scalarum gradus, qui Græco vocabulo κλιμακῆς, significantur, virtus, in corporibus moueri putatur, ut sint quasi articuli quidam, in quibus, ad sequentis temporis consecutionem, sese vertat & inflectat. Inde nos eos annos, Scalares, gradarios, climactericos, vel indicarios appellamus.

Qui anni, inter Septenarios, omnium sunt periculosissimi?

Omnes ferè promiscuè, sineq; discrimine periculosi habentur. At Climacter, ut Genethliaci nominant, & numerant, Quadragessimus nonus, ex septenarijs septimus, pro omnium difficillimo, & periculosissimo habetur, etiam propter numerum quadratum, cum tamen, neque ex ijs, quos vetustas celebravit, multos absumserit, neque ex nostris hominibus, multos tollere animaduertatur.

E 5 Hoe

VEHICVLVM VITÆ

Hoc periculum, in Nouenario, quem Platon, inter Climacteres introduxisse videtur, fuerit, anno ætatis octuagesimo primo. Nouenarij enim quadrato, ipse vitam humanam consummari existimauit, quem terminum vitæ, quam pauci, nostro tempore attingant, manifestum est.

Suntne plures periculosi?

Sunt omnino. Nam & inter hos est, annus ætatis quinquagesimus sextus, qui inter septenarios, annus Heroum Climactericus dicitur, quo anno Vergilius, Poëtarum princeps, ex hac vita decessit. Trucidatus quoque est, à coniuratis crudelissime & præter meritum, eo ipso ætatis suæ anno, C. Julius Cæsar Imperator ille ter maximus.

De Sexagesimo tertio quid
fers iudicij?

Hic annus plerosque deuorat senes, & est præ cæteris, inter periculosissimos, quem paucissimi euadunt, etiamsi omnes priores Climacteres superarint. Atque ideo permultos senes, ex magnis viris & mediocribus hominibus, de veteribus Historijs, & nostra memoria, commemorare possem, qui illo ætatis tempore, mortui fuerunt. Hunc annum, sibi exitialem, ac fatalem, M. Tull. Cicero sensit. Hic annus, D. Martinum Lutherum, & D. Philip-

lip-

lippum Melanchtonem, Landgraviū Hassiæ Philippum, & complures alios viros illustres, & claros, absumsit. De suis quisq; observationibus, sibi exempla in mentem reuocet. Ad hunc annum, quasi ætatis flexum, omnes sibi plerunq; senes metuunt. Nam & senum Climacter appellari solet.

Quamobrem hic annus Climactericus, cæteris periculosior est?

Hic annus Sexagesimus tertius, ideò alijs periculosior est, quòd Septenaria & Nouenaria mutatio, tum concurrat. Nam septies novem, constituunt 63. Et tunc maiorem in corporibus commotionem fieri, necesse esse, affirmant Physici & Astronomi.

Quid autem consilij suggeris, ad euitanda pericula, ingruentibus septenarijs, seu Climactericis annis?

Quisquis ad iustam senectutem, vitã producere, nullis eiusmodi gradibus interruptã, cupit ac desyderat, quoties septimo cuiq; propinquat anno, disponat domui suæ, et se, suasq; vias, vitã, honores, rē familiarē, bona cuncta, corpus & animam, Deo supplex, & pius cōmēdet, suiq; studiosam curã agat, & seipsum noscat, temperanter & sobrie viuat, prudēter vitã instituat, rectē mores regat, et moderata
consi-

VEHICVLVM VITÆ

consilia capiat ac amet, circumspiciat undiquaq̄, secumq̄, rimetur, nunquid sit, aut per imprudentiam accidere, aut committi possit, quod sibi exitium adferat. His enim remedijs, maximè si quis periculoso hoc tempore, pietatem, prudentiam, & temperantiam accersat, ut consilio & auxilio eorum fruatur, prohiberi astrorum minas. Ptolemæus fatetur. Addit etiam, astrorum promissa, sic augetur posse, ut agrorum cultor, auget terræ virtutem.

Ergò non necessariò semper homini interitus imminet, in Climactericis annis?

Probat Petrus Aponensis, multis argumentis, & testimonio Aristotelis, Galeni, Ali, aliorumq̄, Naturalem vitæ finem, non esse ab initio, ad unguem determinatum, sed ultra, citraq̄, moueri posse. Concludit tandem, his Authoribus, rationibusq̄, Obitum, etiam naturalem, differri posse, cum Astrologia machinis, tum præsidijs Medicorum. Igitur nec nos temerè in his præceptis laboramus. Vnum hoc præcipiendo addemus, ne tepigeat, seu pudeat, sæpiùs illos consulere, & audire, qui non tam fortuna, quam virtute, senectutem prosperam consequuti videntur.

Quibus

Quibus potissimum artibus vita
producitur?

Tres Parcas, Poëta ponunt, in quarum ma-
nibus vita humana versari fingitur. Eos imi-
tatus excellens Philosophus Marsilius Fici-
nus, Tres parcitates ponit, inquiens: Prudens
in omni victu parcitas, vitam nobis longam
inchoat. Constans quoque, in curis subeun-
dis parcitas, producit vitam. Parcitas verò,
in cœlo fruendo negligens, vitam occat. His
pensis potissimum, his staminibus Clotho no-
bis, iam non Parca, longa vitæ fila, producit.
Hinc est, quòd tres Temperantias, ante o-
mnia Pythagoras celebravit, quem & nos se-
quuti, in hunc precipiemus modum: Tem-
perantiam, in affectibus servato. Temperan-
tiam, in omni victu custodito. Temperiem
Aëris, his unito. Hac enim providentia, hu-
morum intemperiem, quæ citæ senectutis, &
intempestivæ mortis, causa est, adspirante
Deo, procul admodum propulsabis. Adspira-
bit autem Auctor ille vitæ, qui est longitudo
dierum nostrorum (cùm non vivamus tan-
tùm causis Physicis) si ea solùm de causa, &
conditione, vitam tibi diuturnam optaveris,
ut diutiùs, cùm generi humano, ut pro sis publi-
cè, & priuatim, viuas: tum verò viuas illi ma-
ximè, quo Mundus totus adspirante, vivit.

Longiùs

VEHICVLVM VITÆ

Longiùs aliquantò digressi fu-
mus à Septenario, redi in viam Se-
ptenarij, & collige reliqua?

*Summus etiam humani corporis crescen-
di modus, est septem pedum.*

Nunquid plura, in corpore hu-
mano, septena sunt?

*Septem quoque gradus sunt in corpore
hominis, qui dimensionem altitudinis, ab imo
complent in superficiem, scilicet medulla, os,
neruus, vena, arteria, caro, cutis.*

Quæ præterea?

*Septem quoque sunt, quæ à Grecis nigra
membra vocantur. Lingua, cor, pulmo, ie-
cur, lien, & duo renes.*

Credo in corpore humano,
plura septena esse?

*Corporis quoq; principales partes, sunt
septem. Caput, pectus, duæ manus, pedes duo,
& pudendum.*

De spiritu etiam tale quid ali-
quando audiui?

*Rectè mones. Nam constat, quòd sine
haustu spiritus, ultra horas septem, vita non
duret.*

De

De cibo, ni fallor, idem memoratur?

De cibo, hoc dicitur, quòd ij, quibus inedia mori constitutū est, post septimū diem, non uiuant.

De Venis & arterijs, quid?

Vena quoque, & arteria (ut tradūt Medici) numero mouentur septenario.

De diebus Criticis quoq; hoc loco, mentio fieri solet?

Verum est, iudicia etiam in morbis, maiori apparentia, fieri diebus septimis, quos Medici criticos, hoc est, iudicarios vocant.

Meministine plura septena?

Septem quoque sunt vocum modulamina, Tonus, Ditonus, Semiditonus, Diatessaron, Diapente cum Tono, Diapente cum Semitonio, & Diapason.

Nihilne de cœlestibus?

In cœlestibus quoque potentia Septenarij fortissima est. Nā cum quatuor sint cœli cardines, diametraliter sese contuentes, qui quidem aspectus plenissimus & potentissimus habetur, septenario numero constat. Fit siquidem à septimo signo, crucemq; constituit, figuram omnium, potentissimam. Sed illud nō ignoretur, septenarium, magnam habere in cruce, communionem.

Estne

VEHICVLVM VITÆ

Estne similis ratio in alijs?

Similiratione, & numero distant Solstitium, à Bruma, & æquinoctium hyemale, ab æstivali, quæ omnia septenis signis fiunt.

Dic & alia, in cœlo, septena?

Septem prætereà in cœlo sunt circuli, iuxta axis longitudinem. Septem circa Polum Arcticum triones, maiores, minoresq̄. Item septem Vergilia, quas Pleiades vocant. Septem quoque Planeta. Secundum illos quoq̄ septem dies, constituentes hebdomadam. Luna quoque, Planetarum septima, & nobis proxima, hunc numerum, præ cæteris, obseruat, motumq̄ eius, ac lumen, hic numerus dispensat.

Quomodo hoc fiat explica?

Nam in viginti diebus, & octo, totius Zodiaci ambitum circumit, quem quidem dierum numerum, septenarius, septem suis terminis, ab uno videlicet, usque ad septem, quantum singuli numeri exprimunt, antecedentibus addendo, conficit & implet, efficitq̄ quatuor septenarios dierum, quibus Luna omnem Zodiaci longitudinem atque latitudinem emetiendo, remetiendoq̄, circum, perq̄ discurret, similibusq̄ dierum septenarijs, lumen suum, sempiterna lege, variando dispensat.

Expone

Expone clariùs, quæ abs te, quod ad Lunam attinet, dicta sunt?

Primo septenario, usque ad medietatem, tanquam diuisi orbis, crescit. Secundo septenario, orbem totum lumine complet. Tertio septenario, decrescendo, rursus in orbem contrahitur diuisum. Post quartum verò septenarium, ultima luminis sui diminutione renouatur, eisdem septenarijs, maris incrementa, & decrementa, disponit. Nam primo, ac initio, decrescentis Luna septenario, minuitur paulisper. Secundo, gradatim augetur. Tertius quoque septenarius, fit similis primo, & quartus eadem facit, quæ secundus.

Audiui etiam, de Saturno, quòd Septenarius illi accommodetur?

Rectè istuc. Accommodatur enim Septenarius etiam Saturno, qui ab inferioribus adscendendo, septimus est Planetarum, qui requiem innuit, cui septimus dies adscribitur, qui millenarium septimum indicat, quo, teste Joanne Apostolo, captiuo Dracone, malorum suggestore Diabolo, quiescent mortales, tranquillam vitam degentes.

Quia septimus dies, illi numero adscribitur, videtur etiam præsentis temporis circulum denotare?

F Verum

VEHICVLVM VITÆ

Verum est, presentis quoque circuli tempus, quod septem dierum circulo peragitur, hoc septenary numero significari.

Pythagorici, quomodo appellant Septenarium?

Pythagorici eum, virginitatis numerum, appellant, quia primus est, qui neque generatur, neque generat. Neque enim potest in duas partes diuidi æquales, ita, ut gignatur ex aliquo numero repetito, nec ullum ex se etiã numerum parit duplicatus, qui intra denary limites coarctetur, quem primum limitem constat esse numerorum. Et idcirco Septenarium, Palladi sacrum fecere.

Habetne, & in Religione aliquid nominis & momenti?

Habet omnino, & in Religione, potentissima sua venerationis indicia, & vocatur numerus iuramenti. Hinc apud Hebraeos, iurare, septenare dicitur, quasi per septem obtestari. Sic Abraham, quando pepigit fœdus cum Abimelech, statuit septem agnas, in testimonium.

Nihilne præterea?

Imò & dicitur numerus beatitudinis & requiei. Vnde illud, O terq̄, quaterq̄, beati, scilicet, in anima, & corpore. Et quod Septimo die Creator, opificio quieuit, quem
dieris

diem Moses Sabbathum appellavit, hoc est, diem quietis. Hinc Christus, in quo omnis nostra beatitudo, quies, & salus, septimo die in sepulcro quievit.

De Purificationibus quoque meminit Apuleius?

Dicitur præterea, Purificationibus aptissimus. Vnde Apuleius. Meq̄, ait protinus purificandi studio, marino lauacro trado, septies submersis fluctibus capite.

In lege Mosaica estne simile quiddam, de leprosis?

In lege quoque leprosus mundandus, septies aspergebatur passeris sanguine.

De Naaman etiam legitur, in libris Regum?

Heliseus Propheta, Syro leproso ait: Vade, & lauate septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis. Et sequitur paulo post: Et lauit se septies in Iordane, iuxta sermonem Prophetae, & mundatus est.

Habésne plura, de hoc numero?

Est etiã pœnitentiæ ac remissionis numerus. Hinc statuta est, septenis pœnitētia, pro quolibet peccato, iuxta sapientis sententiam

F 2 dicen-

VEHICVLVM VITÆ

*dicentis. Et super peccatorem septuplum.
Nam & septimo anno fiebant remissiones, &
post quadratum septenarium, dabatur ple-
na remissio, ut est in Leuitico.*

**Sunt & septem petitiones in ora-
tione Dominica?**

*Expiationis nostræ Orationem, Christus
quoque septem petitionibus consummauit.
Nam & diuinis laudibus accommodatissi-
mus est. Vnde Regius Propheta, Psalmista
ait: Septies in die laudem dixi tibi, super in-
dicia iusticiæ tuæ.*

**Quæ prætereà habet nomina
septenarius?**

*Dicitur etiam libertatis numerus. Quia
septimo quoquo anno, seruus Hebræus liber-
tatem sibi vendicabat.*

Perge & de alijs?

*Nuncupatur in super, vltionis numerus,
dicente Scriptura: Septies vltio dabitur de
Cain. Et Psalmista ait: Redde vicinis nostris
septuplum, in sinu eorum.*

**Septem quoq; nequitia sunt, apud
Salomonem. Nonne?**

*Sic. Et septem spiritus nequiores assumti,
leguntur in Euangelio.*

De

De Spiritu sancto, quid in hoc numero dicis?

Hic numerus sacer quoque est Spiritui sancto, quem septuplū, iuxta eius dona, Propheta Esaias describit, videlicet, Spiritum sapientie, & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritū scientie, & pietatis, & spiritum timoris Domini, quos apud Zachariā legimus, septem oculos Dei.

De Angelis quid?

Septem quoque sunt Angeli spiritus, adstantes ante faciem Dei, ut legitur apud Thobiam. Et in Apocalypsi, Septem lampades ardebant ante thronum Dei, & septem candelabra aurea, & in medio eorum, similis Filio hominis, & habebat in dextera sua, stellas septem. Item spiritus septem erant, in conspectu throni Dei, & septem Angeli adstabant, in conspectu Dei, & data sunt illis septem tube. Vidit quoque Joannes Agnum, habentem septem oculos, & vidit librum obsignatū septem sigillis. Et cum apertum fuisset septimum sigillum, factum est silentium in cælo.

Habentur ne plures, in sacris literis huius numeri observationes?

Magna admodum est in Sacris literis, huius numeri, præ cæteris omnibus, observan-

F 3 tia,

VEHICVLVM VITÆ

tia, magnaq̄, & multiplicia eius mysteria, quibus facile constat, septenarium plenitudinem quandam sacrorū mysteriorum significare. Horum multa, è sacris eloquijs, hoc loco, repeti possent.

Repete quæso nonnulla quæ in mentem veniūt tibi. Solent autem multa se offerre dicenti?

Annumerabo quedam, quando ita libet, breuiter percurrendo præcipuos sacra scriptura libros. Ex Genesi.

Et primum in Genesi legimus: Septimum diem, quietis Domini esse. Septimū ab Adā, Enoch, virum sanctum & pium. Et alium, item ab Adam septimum, virum nequam, & digamū, nomine Lamech. Sic & septima generatione abolitum peccatum Cain, quemadmodum scriptum est: Septuplum punietur Cain, & septem vindictas exoluet, qui occiderit Cain. Ad quæ ibidem Magister, septem peccata Cain fuisse, colligit.

Item septena, & septena, ex omnibus animalibus mundis, introducta fuisse, in Arcam Noë. Similiter & de volatilibus.

Deinde post septem dies, pluisse Dominum super terrā. Septimo die, ruptos omnes fontes Abyssi, & inundasse aquas super terram.

Itē septē agnas dedit Abraham Abimelech.

Septem

Septem annis seruiuit Iacob, pro Lia, & alijs
septem pro Rachel.

Septem diebus, populus Israël luxit mortem
Iacob.

Septem prætereà boues & septem spicas.

Septem annos felicitatis, & septem sterilitatis,
ibidem in Genesi legimus.

In Exodo.

In Exodo verò, septimo die præcipitur Sabbathum,
requies sancta Domino.

Septimo enim die, ab opere quieuit Dominus.

Septimo item die, cessauit orare Moses.

Septimo die, erit Solennitas Domini.

Septimo anno, liber egredietur seruus.

Septem diebus, bos, et ovis, sit cum matre sua.

Septimo anno dimittetur quiescere terra, seminata
sex annis.

Septimus dies, erit sanctum Sabbathum &
requies.

Septimus dies, quia Sabbathi est, vocabitur

In Leuitico. (sanctus.

In Leuitico etiã, septimus dies erit celebrior
& sanctior.

Et septimi mensis dies primus, erit Sabbathum
memoriale.

Septem diebus, offerentur holocausta Domino.

Septem diebus celebrabuntur ferie Domini.

VEHICVLVM VITÆ

Septem diebus per annum legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.

Septimo mense festa celebrabitur.

Septem diebus habitabitur in tabernaculis.

Septies adsperserit coram Domino, qui tinxerit digitum in sanguine.

Septies tinget in sanguine passeris, mundatus à lepra.

Septem diebus lauabitur aquis viuentibus, qui patitur fluxum sanguinis.

Septies adsperserit digito, in sanguine Vituli.

Septies percutiam vos, propter peccatum.

In Deuteronomio.

Septem populi, terram promissionis habebant.

Legitur & septimus annus remissionis.

Et septem lucernæ candelabrorum, in Australi parte erectæ.

In Numeris.

Septem agnas immaculatas, obtulisse leguntur Fily Israël.

Septem diebus vescebantur Azymis.

Septem Agnis & Hirco, expiabatur peccatum.

Septimus dies erat celeberrimus & sanctus.

Septimi mensis dies venerabilis & sanctus.

Septimus mensis Scenopegie.

Septem vitulos offerebant die septimo.

Septem aras erexit Balaam.

Septem

Septem diebus Maria, soror Aaron leprosa,
egreditur extra castra.

Septem diebus immundus erit, qui tetigerit
cadaver.

In Iosua.

Septem Sacerdotes portabant arcam fœde-
ris, ante Hiericho.

Septem diebus circumibant ciuitates.

Septem buccina portabantur, per septem sa-
cerdotes.

Septimo die buccinabant septem sacerdotes.

In Iudicum libro.

Septem annis Abessaregnauit in Israël.

Septem diebus fecit nuptias Sampson.

Septimo die exposuit uxori Problema.

Septem funibus neruiceis ligatus est, Et,

Septem crinibus capitis sui.

Septem annis oppressi sunt filij Israël, per Re-
gem Madian.

In libris Regum.

Septem vicibus, & septima vice, ecce, dicit
Helias, nubecula parua.

Septem diebus filij Israël dirigebant acies.

Septimo die commissum est prælium.

Septem annorum, comminata est fames Da-
uid, propter peccatū numerationis populi.

Septies oscitauit puer, resuscitatus per Heli-
seum Prophetam.

VEHICVLVM VITÆ

*Septem viri crucifixi sunt simul, in diebus
messis prima.*

*Septem lotionibus mundatur Naaman, per
Heliseum.*

Septimo mense occisus est Goliath.

In Paralipomenis.

*Septimo mense completus est acervus fun-
damentorum.*

In Hesther.

Septem sunt Eunuchi Regis Persarum.

In Thobia.

Septem viri copulati cū Sara, filia Ragnelis.

In Daniele.

*Septem vicibus incenditur fornax Nabucho-
donosor.*

In libro Iob.

Septem exprimuntur filij Iob.

*Septem item diebus & septem noctibus sedis-
se amicos Iob, cum eo, in terra, legimus.*

*Septimo quoq; non tangere te malū, ibidem
legitur.*

In Esdra.

Septem leguntur annorum hebdomada.

Septem item consiliarij Artaxerxis.

Septimo, ibidem, mense, clanges buccina.

*Septimus mensis Scenopegia, sub Esdra erat,
dum filij Israël erant in ciuitatibus.*

Septimā

Septimi mensis primo die, Esdras legit legem populo.

In Psalmis.

Septies in die laudem dicit Domino, David.

Septuplum probatur argentum.

Septuplum reddit vicinis nostris, in sinu eorum.

Salomon.

Septem columnas excidisse sibi, ait sapientia.

Septem, item, viros, loquentes sententias.

Septem, quæ odit, & detestatur Dominus.

Septem nequitia, in corde inimici.

Septem circumspectores.

Septem oculi insipientes.

Esaias.

Septem dona spiritus sancti numerat.

Septem mulieres viri unum apprehendentes.

Ieremias.

Septem mentis mulierum concupiscentia.

Septem filios peperit mater, quæ infirmata est, & defecit anima eius.

Ezechiel.

Septem diebus Propheta mærens permansit.

Zacharias.

Septem lucerna, & septem infusoria, super caput candelabri.

Septem

VEHICVLVM VITÆ

Septē oculi, discurrentes in vniuersam terrā.

Septem oculi super unum lapidem.

Septimi diei ieiunium, vertitur in gaudiū.

Micheas.

Septem Pastores suscitati sunt, super Assyrios.

In Euangelijs, noui Testamenti.

Leguntur septem beatitudines.

Septem virtutes, quibus septem vitia opponuntur.

Septem petitiones Orationis Dominice.

Septem verba Christi, in cruce.

Septem verba beate Mariæ Virginis.

Septem panes, per Dominum distributi.

Septem sportæ fragmentorum.

Septem fratres uxorem unam habentes.

Septem discipuli Domini piscantes.

Septem iræ, quas Dominus hypocritis minatur.

Septem Dæmonia eiecta, de muliere peccatrice.

Septem Dæmones nequiores, adsumti ab expulso.

Septem annis fuit Christus profugus, in Ægypto.

Septima hora reliquit febris filium Reguli.

Iacobus Apostolus.

Septem gradus sapientiæ describit.

Petrus

Petrus.

Septem gradus virtutum.

In Actis.

Septem Diaconi, septem discipuli, electi per
Apostolos numerantur.

Apocalypsis.

In Apocalypsi quoque multa sunt huius nu-
meri mysteria. Ibi enim leguntur:

Septem candelabra.

Septem stelle.

Septem coronæ.

Septem Ecclesie.

Septem Spiritus, in conspectu throni.

Septem flumina Egypti.

Septem sigilla.

Septem signacula.

Septem cornua.

Septem oculi.

Septem Spiritus Dei.

Septem Angeli, cum septem tubis.

Septem capita Draconis, quæ habebant se-
ptem Diademata.

Septem plage.

Septem Phiale, quas habet unus de septem
Angelis.

Septem capita bestie coccinea.

Septem montes.

Septem

VEHICVLVM VITÆ

Septem Reges, sedentes super eosdem.

Septem tonitrua, locuta voces suas.

¶ *Habeo gratiam, percurrisse te, in hac septenaria materia, totū ferè, utriusq; Instrumenti corpus.*

iam ad absolutionem, quæso, huius tractationis, si quid porrò habes, perge?

Multas præterea vires habet hic numerus, cum in naturalibus, tum in sacris, & caeremonijs, tum etiam in alijs. Itaque huc referuntur:

Septem dies.

Septem Planeta.

Septem Pleiades.

Septem ætates mundi.

Septem mutationes hominis.

Septem artes liberales.

Septem artes Mechanicæ.

Septem artes prohibita.

Septem colores.

Septem metalla.

Septem foramina, in capite hominis.

Septem paria nervorum.

Septem montes in urbe Roma.

Septem Reges Romani.

Septem

- Septem bella ciuilia.
- Septem sapientes, tempore Ieremia Pro-
pheta.
- Septem sapientes Gracia.
- Septem diebus ardebat Roma, sub Nerone.
- Septem Reges, occiderunt decem millia
martyrum.
- Septem fuere dormientes.
- Septem sunt Roma Ecclesia principales.
- Septem Gregorius construxit Monaste-
ria.
- Septem constituti sunt Electores Imperij.
- Septem sunt actus solennes, in Imperatore co-
ronando.
- Septem testes requirunt leges, in Testa-
mento.
- Septem sunt pœna ciuiles.
- Septem sunt pœna Canonica.
- Septem hora Canonica.
- Septem Sacramenta.
- Septem ordines Clericorum.
- Septem annorum puer potest ordinari, or-
dine minori, & potest obtinere beneficiũ,
sine cura.
- Septem sunt Psalmi pœnitentiales.
- Septem mandata secunda Tabula.
- Septem horis Adam & Eua fuerunt in Pa-
radiso.

Septem

VEHICULUM VITÆ

Septem sunt viri, per Angelum præannū-
ciati, antequam nascerentur. Videlicet,
Ismaël, Isaac, Sampson, Ieremias, Joannes
Baptista, Iacobus frater Domini, & Chri-
stus Iesus.

Quid his omnibus supra dictis
significatur & docetur?

Ex supra dictis omnibus apparet, Se-
ptenariū, inter ceteros numeros, merito dici
omnis efficacie plenissimum. Denique hic nu-
merus, & in bono, & in malo, omnium est, po-
tentissimus. De hoc Linus, vetustissimus Poë-
ta cecinit:

Septima cum venit lux, cuncta absolvere cœ-
pit

Omnipotens pater, atq; bonis est septima &
ipsa.

Est etiam rerum cunctarum septima ori-
go,

Septima prima eadem perfecta, & septima
septem.

Vnde etiam cælum stellis errantibus altum
Voluitur, & Circlis totidem circum undiq;
fertur.

NOVENARII EXA- men sequitur.

Noue-

Nouenarius numerus quid est?

Nouenarius numerus, Musis est sacer, cœlestium Sphærarum, diuinorumq; spirituum ordini adiumento.

Hinc nouem sunt Sphære mobiles.

Et secundum illas, Nouem sunt Muse.

Scilicet:

Calliope. Vrania. Polymnia. Terpsichore.

Clio. Melpomene. Erato. Eutherpe. Thalia.

Quid his nouem Musis, cum Sphæris cœlestibus rei est?

Hæ nouem Muse, Sphæris cœlestibus, ita sunt accommodatæ, ut prima referat supremam Sphæram, quam vocant primū mobile, & sic gradatim descendendo, secundum scriptum ordinem, usq; ad ultimam, quæ refert Sphæram Lunæ.

Perge in commemoratione

Nouenarij?

Nouem quoq; sunt Angelorum beatorum ordines. Scilicet:

Seraphin. Cherubin. Throni. Dominations. Virtutes. Potestates. Principatus. Archangeli. Angeli.

Hos ordines, quomodo figurat Ezechiel.

Hos nouem Angelorum ordines, figurat Ezechiel, per nouem lapides.

G

Qui

VEHICV. VITÆ HVMA.

Qui sunt?

*Sapphirus. Smaragdus. Carbunculus.
Berillus Onix. Chrysolithus. Iaspis. Topa-
zius. Sardius.*

Meministine plura?

*Habet etiam hic numerus, magnum &
occultum crucis Sacramentum. Nam hora
nona, Dominus noster Iesus Christus, emisit
Spiritus.*

Quid Astrologi de hoc nu-
mero sentiunt?

*Astrologi insuper, annos Enneaticos, hoc
est, Nouenarios, in hominum etatibus, non
secus, atque septenarios, quos Climactericos
vocant, observant, notabili mutatione insi-
gnes.*

Longitudo nouem cubitorum, Og,
Regis Basan, quid denotat?

*Mysterio non vacat, longitudo nouem cu-
bitorum Og, Regis Basan, qui typus est Dia-
boli.*

FINIS.

IN LAUDEM IMPE-
 RIALIS ET LIBERI MONA-
 STERII CORBEIENSIS, ET PVLCRI
 Oppidi Hoxariae, in ripa Visurgis siti, & Prin-
 cipi Corbeiensi, magna cum obedientia lau-
 de, subiecti, Carmen scriptum ad Reueren-
 dam in Christo, Illustram, & presulgidum,
 nec non doctissimum, & optimum Sacri Ro-
 mani Imperij Principem ac praesulem, & Do-
 minum, Dominum Reinherum, Dei gratia,
 Imperialis & liberi, celebris & Amplissimi
 Monasterij Corbeiensis, in Saxonia, Abba-
 tem, Principem & Dominum suum clemen-
 tem, Henricus Cnaustinus, Sacri Pala-
 tij Lateranensis COMES &
 MILES, ac Poëta
 Caesareus.



G 2 REVE-

REVERENDO IN
CHRISTO PATRI, ILLVSTRI-
que Principi ac Domino, D. Reinhero, Im-
perialis Monasterij Corbeiensis Abba-
ti Amplissimo, Domino Gra-
tioso suo.

SI possem in cœli te laudibus atria nostris
Tollere, pro merito, pro pietate tua.
Non studiū nobis, labor improbus sed neq; decus
Nec quicquā, posset quod decus esse tuū. (set,
Tantus amor mentem stimulat, gaudetq; perenni
Ipsa placere tibi carmine, laude, modo.
Accipe nunc igitur, Princeps clarissime, clemens,
Et perfer laudes, quas tibi Musa sonat.
Illa quidem tenuis, ieiunaq; Musa Poëtæ
Cnaustini, quem scis nomen amare tuum.
Et quis amare tuum neget hoc venerabile nomen,
Quod celebrat votis Teutona terra suis,
Omnes vota tibi dicunt, Rhetorq;, Poëta,
Non est qui cupiat laude tacere tua.
Et me præconem tua virtus semper habebit,
Commendatus eam de meliore nota.

IN

46
IN LAV,

DEM IMPERIALIS

ET LIBERI MONASTERII

CORBEIENSIS, ET PVLCHRI OPPI-

di Hoxaria, in ripa Visurgis siti, & Principi

Corbeiensi, magna cum obedientia lau-

de, subiecti, Carmen scriptum ad Reueren-

dum in Christo, Illustrem, & præfulgidum,

nec non doctissimum, & optimum Sacri Ro-

mani Imperij Principem ac præsulem, & Do-

minum, Dominum Reinherum, Dei gratia,

Imperialis & liberi, celebris & Amplissimi

Monasterij Corbeiensis, in Saxonia, Abba-

tem, Principem & Dominum suum clemen-

tem, Henricus Cnaustinus, Sacri Pala-

tij Lateranensis COMES &

MILES, ac Poëta

Cæsareus.

DEpicætas alius tabulas collaudet Appellis
Carmine, vel celebret nobile Zeufis opus
Fusa, vel artificis Lysippi prædicet æra,
Pallados aut docta pallia texta manu.
Pyramidum iactet moles Aegyptia tellus,
Ostentet laudes inclyta Roma suas.
Me stimulat, laudes Corbeias dicere, mentis
Intuitus, tanto flagrat amore loci.

G 3 Vnde

IN LAUDE MONAST.

Reinherus Vnde boni tantum mihi prouenit, ordine longo,
 à Buch- Quantum vix docta voce referre queam.
 holtz, Ab- Præsudet hic, magis Reinherus laudibus, alto
 las Cor- Stemmata præclarus, nobilis, atque valens.
 tuensis A Bucholtz, veterum celebri cognomine dictus,
 Modernus. Pectora qui gestat candidiora niue.
 In terris viuit quo non humanior alter,
 Micaque nec toto corpore fellis inest.
 Dignus Pierides quem celsa in tydera tollant,
 Pro meritis, sancta quod fouet arte bonos,
 Et doctos omnes magno veneratur amore,
 Doctrina à puero cultus & ipse graui.
 Huic studiosorum rebus sunt nata iuandis
 Pectora. Nam doctos non magis alter amat.
 Consilij est utilibus, bonus, & grauis author,
 Quod diues mentis corde Sophia sedet,
 Mellitæque fluit prudens oratio linguæ,
 Et facunda sonat copia ab ore viri.
 Euoluitq; sacri spaciofa volumina Iuris,
 Sanctorum & legit scripta beata Patrum.
 Hinc designatus Doctor fuit ille vocatus,
 Prælustre hoc nomen pagi sacra dedit.
 Omnis virtutis cumulata laude refulget,
 Vnde est perpetuo dignus honore coli.
 Magnifica dignus tolli super æthera laude,
 Doctus homo, doctos quod fouet, ornat, amat.
 Induperator erat pius & ter Maximus olim,
 quem Impe Quem Ludouicum atauj dicere ritè solent,
 x. n. fun- Hic pius atq; adamans sacrorum, numine plenus,
 c. or. Mo- Instituit cœtus, primus & auxit opes.
 h. iij. Prædia, dat, reditus magnos, atq; oppida, syluas,
 C. rociq; Liberam & Imperij vult pius esse domum.
 hic. **ABBATEM** dedit ipse pium, quo fœdere certo,
 Collige-

Colligeret populum, Christe beate, tibi,
 Hos inter cœtus venerandos vidimus olim
 Conspicuos magna cum pietate viros.
 Franciscum Abbatem Ketler, de stirpe vetusta.
 Post Gaspar Hersel, stemmate clarus erat.
 Successit Princeps Reinherus, magnus in omne
 Aeuum, de Bucholtz nomine dictus aui.
 Est hic Aonidum cœtus vir summus amator,
 Pauperibus columen, profugiumq; pijs,
 In vita pietas, virtus, sapientia magna,
 Elucet vultu, cum grauitate decus.
 Omnis in hoc cœtus venerandi cura recumbit,
 Nanq; est præfulgens gloria, spesq; chori.
 Est castus, prudens, doctus, paruaq; iuuentæ
 Altior, doctorum fautor, amator, honos.
 Pauca loquens, tacitus, meditans sed, multa pro
 Integer vt vitæ, sic pietatis amans. (fundè
 Estque suæ gentis decus hic, & gloria Bucholtz,
 Spes bona maioris nominis, & decoris.
 Det Deus vt multos viuat benè sanus in annos,
 Atque pijs præstet commoda multa viris,
 Nominis & fato respondeat inclyta virtus,
 Nam Corbeia, quasi corda beata, sonat.
 Corda beata tenet Princeps tam magnus, egenis,
 Solamen gratum, pauperibusq; Dei.

Abbas
 Franciscus
 Ketler,
 Abbas Cas-
 parus Her-
 sel.
 Abbas
 Reinherus
 à Buch-
 holtz.

Corbeia,
 vel, Cor-
 beium,
 quasi cor
 beatum.

S Vbiungam hic, Princeps & Presul Rein-
 here, quas in tuis nempholis inueni, te
 præeunte, antiquitates. Quæ quia sunt
 Historica, & è vetustissimo, manu scripto
 Exemplari, per amannensem meum, An-
 dream Gartnerum, Legalem & Authenti-

IN LAVDEM MONAST.

*eum Notarium, tuo iussu, & permissu, excerp-
pta, ac veram, sanctam, & multam antiqui-
tatem redolent, ideò de verbo ad verbum, pri-
mùm Letanias, de quibus supra in prefatio-
ne, mentio facta est, deinde & alia complu-
ra, memorabilia, & Historica, quæ apud vos
legi, vidi, & audiui, ponam, & tamen in nul-
lum finem alium, quam ut sint merè Histori-
ca, quæ non obligant nos, siue quis narrationi
fidem habeat, siue non habeat. Vera Religio-
ni, & pie doctrina, his & similibus Historicis
Enarrationibus, nihil decedit, Sint nobis Hi-
storica, non autem Articuli fidei, talia. Hæc
ideò prolixius commemoro, ne quis fortè of-
fendatur, ac si superstitionibus luderemus, pa-
rùm fundati in doctrina cœlesti & Euange-
lica, edificata super firmam petram, quæ est
Christus.*

SEQVITVR LETANIA, QVAE
tempore Arnolphi Imperatoris, in Ec-
clesijs decantata fuit, & à Letanijs huius
temporis, apud Pontificios vsitatis, di-
screpat, Ex vetustissimo Codice, seu ma-
nu scripto Exemplari transsumta,
quam in Imperiali Monaste-
rio Corbeiano, vidi,
& legi.

Christus

Christus vincit, Christus regnat, Chri-
stus imperat.

Exaudi Christe.

Stephano, summo Pontifici, salus & vita.

Saluator mundi, Tu illum adiuna.

Sancte Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Cle-
mens, S. Sixte.

Exaudi Christe.

Arnolpho Regi, vita & victoria. Redemptor
mundi. Ter.

Resp. Tu illum adiuna.

Sancta Dei genitrix, S. Michael, S. Gabriel,
S. Raphael, S. Ioannes.

Exaudi Christe. Ter.

Omnibus indicibus, vel cuncto exercitui Frã
corum.

Vita & victoria.

S. Mauriti, S. Sebastiane, S. Martine,

S. Ambrosi, S. Hieronyme.

Exaudi Christe. Ter.

Bouoni, Abbati, & cetera congregationi S.
Stephani, salus & vita.

S. Stephane, S. Vite, S. Dionysi, S. Blasi, S.
Georgi.

Christus vincit, Christus regnat, Christus im-
perat.

Semel, & sic per totum in antea.

Rex Regum, Christus vincit.

G 5

Rex

IN LAVDEM MONAST.

Rex noster, Christus vincit.

Arma nostra invictissima, Christus vincit.

Spes nostra, Christus vincit.

Fortitudo nostra,

Murus noster inexpugnabilis,

Gloria nostra,

Victoria nostra,

Liberatio & redemptio nostra,

Misericordia nostra,

Defensio & exaltatio nostra,

Lux, via, & vita nostra.

Christus
vincit.

Ipsi soli Imperium, gloria, & potestas, per im-
mortalia secula seculorum, Amen.

Ipsi soli honor, laus, & iubilatio, per infinita
secula seculorum, Amen.

Ipsi soli virtus, fortitudo & victoria, per o-
mnia secula seculorum, Amen.

Christe audi nos. Kyrie eleison. Christe elei-
son. Kyrie eleison, Amen.

Post colloquium Letaniarum, de quibus
variè disputari solet, Præsul fulgidissime, pro-
ferebas & alia, quæ ad fundationem, antiqua
illius Sedis Corbeiane, attinebant. Ea huc
quoque adscribam, quia partem Historia-
rum eius temporis, sub Ludouico pio Impe-
ratore, & alijs referunt.

Corbeia,
vel Cor-
beium.

Corbeia vel Corbeium, inquit antiquita-
tis scriptum, quasi corda beata, seu cor bea-
tum,

tum, Monasterium Saxonia, à Ludouico pio fundatum, in honorem B. Stephani Protomartyris, cuius etiam scapula ibidem habetur. Huius loci Dedicatio celebratur, ipso die Martini, Turonensis Episcopi. Hic trecentis annis, continua laus diuina resonuit, per tres choros, in quibus Monachi distincti, die ac nocte non tacentes, sed Domino Deo sacrificium laudis offerentes.

Dedicatio
Monasterij

Fuerunt uno eodēq; tempore in predicto Monasterio, duodecim sacra Theologiae Doctores, humilem D. Benedicti, Patris nostri, Scholam frequentantes. Eo enim tempore, florebant Sacrarum literarum studia, apud Benedictinos Coenobitas, & benedixit eis Dominus, domi & foris, veneruntq; omnia bona pariter cum ipsa vera misericordia & virtutum sapientia, qua etiam spreta, & in exiliū profligata, unā pariter cum ipsa omnia abeunt, ut hodie, luce clarius, datur cernere.

Duodecim
Doctores
Theologiae
eodē
tempore

Porro, eo tempore, eiusdem Monasterij Abbas, Eckenbertus nomine, in subsidium terra sancta, octo menses, proprijs expensis, mille & centum equitibus armatis, Imperatorem est secutus Hierosolymam, indeq; pulchram Dominicae crucis partem, Augusto largiente, Corbeiam detulit, qua hodierna ad huc die populis reuerenter ostenditur.

Expeditio
Abbatis
Eckenberti,
proprijs
expensis.

Alie

IN LAVDEM MONAST.

Regis Gal-
liæ filius,
Abbas.

Alio quodam tempore, præfuit etiam præ-
nominato Monasterio, Abbas quidam, filius
Regis Franciæ, cuius Abbatis frater, paterni
Regni successor, admodum molestabatur, à
quodam suo aduersario. Atque ideò petijt
auxilium à fratre suo, Abbate Corbeatino,
tunc temporis potentissimo, qui exoratus à
fratre, magno exercitu congregato, germano
succurrit. Deinde verò, victo aduersario, lar-
ga remunerationis dona Regius frater largi-
ri voluit auxiliatori suo, germano fratri.

Corpus S.
Dionysij.

Cæterum, vir spiritualis, temporalia bo-
na respiciens, petijt sibi donari corpus S. Dio-
nysij, quod Rex libenter dono obtulit. Popu-
lus autem restitit Regi, eò quòd Patronus es-
set, ferè totius Galliæ. Tunc petijt & obti-
nuit sacrum corpus B. Viti Martyris, quod
gaudens suscepit, & secum ad suum Mona-
sterium detulit, ubi vsque in presentem diem
honorificè quiescit.

S. Viti mar-
tyris cor-
pus.

Duo Stur-
riones ve-
niunt die
S. Viti,

Memoratur etiam, quòd ultra trecentos
annos, semper ipso die B. Viti, per Weseram
seu Visurgin fluuiũ, Monasterio alluentem,
duo Sturiones, pisces, veniebant, quorũ unus
ad fratrum refectiõnem capiebatur, alter cũ
benedictione liber manumissus abibat.

Duo Cerui
veniunt,

Simili modo, eodem semper die, veniebant
& duo Cerui, ad portam Monasterij, quæ ho-
die

die ceruorum porta dicitur, quamuis lapide sit clausa, quorum unus capiebatur in cibum hospitem, alter dimittebatur in libertatem suam.

Alia quoque Historica est Narratio, Duo Angeli apparent Quòd quando in Quadragesima, iuxta consuetudinem Ecclesiarum, Historia de Ioseph & canunt in choro. canebatur in Ecclesia, et iam iam eius Responsorij versus decantandus esset à duobus, mox aderant cœlitus duo formosissimi Ephebuli, haud dubiè, Angeli Dei, reuerenterq; cantabant versum, qui incipit de Ioseph, in hac verba: Misertus enim est Deus illius, &c. quoriente decantato, ab oculis fratrum se abducebant.

He apparitiones durasse feruntur, usq; ad tempora cuiusdam supra modum elati & superciliosi Abbatis, qui interrogasse aliquando iuuenes illos cantores duos perhibetur, qui, & unde essent. Respondisse autem dicuntur, in hunc modum. En, trecentis annis custodientes, præsumimus huic Monasterio, sed ob tuam superbiam deseremus hunc locum, quod & factum est. Hic Abbas, dum quodam die iret in processione, oppressus est à lapide superne cadente.

Aliud etiam memoria traditum est, non minus mirum, Quod triduo ante mortem cuiuslibet

IN LAUDE MONAST.

Signū Fra-
tris mori-
turi post
triduum.

iuslibet fratris morituri, folium repandi lilij
de candelabro, quod pendeat in medio Cho-
ri, & Corona vulgò dicitur. (Erat verò fa-
brefactum de aurichalco) inueniebatur in
Stallo, id est, sede choralis. Quo viso, idem fra-
ter, quantum potuit, preparavit sese ad bea-
tè moriendum post triduum. Nec profuit,
quòd quidam frater, cum in sua sede, de hu-
iusmodi candelabro, repandum lilium inue-
nisset, illud in alterius sellam sublatum repo-
neret, quod aliquando factum fuisse affirmat.
Nihilominus enim ille ipse, cuius fatum in-
tendebatur, moriebatur.

Occulta
iudicia
Vestpha-
liæ.

Adiciam quoque huc Caroli Romanorū
& Bohemie Regis Priuilegium, quod mihi,
Princeps clarissime, inter cetera Diuorū Im-
peratorum vetustissima dona, cum aureis ap-
pensis Sigillis, pulcerrima antiquitatis mo-
numenta, ostendebas. Idq̄, faciam propter oc-
cultā Westphaliæ iudicia, quæ & Corbeæ cō-
cessa fuere. Priuilegium est tale:

CAROLVS Dei gratia, Romanorum
Rex, semper Augustus, Bohemie Rex, Vener-
rabili Theodorico, Abbati Corbeiensi, Prin-
cipi & deuoto nostro dilecto, Gratiam Re-
giam

giam & omne bonum. Qui sicut certa re-
latione didicimus, Monasterium Corbe-
iense, ex suggestione maleuola temporum
personarumque, timore Dei postposito, ipsi
Monasterio non timuerunt multipliciter
derogare. In temporalibus adeò collapsum
conspicitur, quòd vix aut nullo modo re-
staurari & in pristina sua statum felici-
tatis restitui valeat, absque Maiestatis
Regiæ gratia & presidio speciali.

Nos igitur attendentes sincera deuo-
tionis affectum, quem Illustris Iohannes
Bohemia Rex, genitor noster charissimus,
ad te, tanquam specialem deuotum ipsius,
dinoscitur gessisse. Qui etiam ad assequu-
tionem dignitatis Abbatia, & principatus,
qui tibi commissus est. exacta diligentia,
& sincera dilectionis studio, te promouit
ad honorem beati Viti, Patroni nostri &
tui, ad cuius obsequia, natalis soli dulce-
do, & Patriæ Bohemicalis dilectio, singu-
lariter nos inuitant, ut prædictum Mona-
sterium, ab huiusmodi incommodis & iactu-
ris, commodè resurgere valeat, & à casibus,
oppressionibus respirare gaudenter, sub regi-
mine Principis gratiosi possit, tuo & ipsius
Monasterij felici statui, dignum duximus,
do

IN LAVDEM MONAST.

de regimine & celsitudinis magnificentia,
gratiosius providendum. Dantes & conce-
dentes tibi & successoribus tuis in perpetuum,
Abbatibus & Principibus Monasterij præ-
dicti, Regia auctoritate, nobis ex Sacra Ro-
mani Imperij proprietate concessa, plenam
licentiam & omnimodam potestatem, sta-
tuendi, creandi, & ordinandi Comites libe-
ros, qui vulgari nomine, Freygraueu nomi-
nantur, ad exterminandas malorum pravi-
tates, nominatim, & expresse coram Mona-
sterio Corbeiensi, & in villa Horhusen, pro-
pe Oppidum TZWISNE, Dorpede, &
Westhem, prope castrum BLANCKEN-
AWE, prope castrum TONNE-
BORCH, ac in omnibus terris, castris, op-
pidis, villis, discretis, & pertinentijs, ad præ-
dictum Monasterium Corbeiense, vel ipsius
iurisdictionem spectantibus. In quorum pos-
sessione, vel quasi, pacifica, dictum Monaste-
rium esse, & hæctenus fuisse dinoscitur, & ad
quæ aliquem iuris respectum habere cense-
tur, ad vestrum mandatum & beneplacitum,
sedes suas liberas, quæ Freigstol dicuntur, lo-
care. Iudicia quæ vulgò Friding & Fene-
ding nominati sunt, solita presidere, ac eadem
exercere valeant, iuxta vestra discretionis
arbitrium instituendum & instituendos,
quo-

quotiens vel oportuum visum fuerit, & pro bonis & incolumi statu ipsius Monasterij expediens fore videbitur, renocandum, aliosq; substituendi, pro vestra beneplacito voluntatis.

Decernentes & edicto perpetuo statuentes, quod tu & successores tui, Abbates Monasterij Corbeiensis, praedicti sacri Imperij Principes, & deuoti ad instar venerabilium Monasteriensis, & Paderbornensis Ecclesiarum Antistitum, Principum nostrorum, Scabini Iudiciorum Westphaliae Prouincia amplius fore debeatis. Et ad huiusmodi Scabinatus officia exercenda, fideliter corporalia iuramenta praestare. Nec non uniuersa & singula secreta, & occulta eiusmodi iudicij scire possitis, & omnibus Iuribus, & consuetudinibus gratijs & libertatibus potiri & gaudere, quibus praedicti Episcopi, praedecessores ipsorum, aut ceteri Scabini Westphalensis Prouincia, haectenus freti sunt, & hodie potiuntur. Mandamus igitur liberis Comitibus, qui vulgo Freygrauen dicuntur, & Scabinis Westphaliae Prouincia, presentibus & futuris, quatenus te, & uniuersos successores tuos, Abbates Corbeienses, circa statuendos Comites liberos, ipsosq; Comites, in locatione sua & persequutione iudiciorum huiusmodi,

H ubiq;

IN LAV. MONAST. CORB.

ubiq^{ue} in proprietatibus, Monasterium non
impediant, vosq^{ue} & quemlibet vestrum, qui
pro tempore fuerint, ad officia Scabinatus
Westphaliae Prouincia, ad praestanda Jura-
menta solita, ad cognitionem secretorum Iu-
dicium, & alios Scabinatus exercendos, iu-
xta praesentis nostrae largitionis indulta ad-
mittant, contradictione seu difficultate qua-
libet non obstante, sub poena proscriptionis &
Banni Regalis, quam qui secus attentare
presumpserint, se cognoscant grauiter incur-
risse. Nobilibus Iohanne de Bilstein, Iohanne
de Grascap, Iohanne de Padberch, & Gods-
wino de Rodenberch, fidelibus nostris, testi-
bus ad praemissa praesentibus, sub Maiestatis
nostrae Sigillo in testimonium literarum.
Datum Bunne, Anno Domini, Millesimo,
trecentesimo, quadragesimo nono, Indictio-
ne secunda. Septimo Calend. Februar.

Regnorum nostrorum, An-
no tertio.



H O X A

H O X A R I A E

CIVITATIS MARITIMAE
ENCOMIASTICA DESCRIPTIO,

Per Henricum Cnaustinū,

V. I. Doctorem, Poëtam

Cæsareum & Laureatum,

Sacri Palatij Lateranen-

sis Comitem & Mi-

litem.



Accipite hæc Patriæ patres, fidissima turba,
Quorum consilijs publica rata manent,
Descripti laudes vestras, vrbsque vetustæ,
Acqui consulite & carmina nostra boni.



AD

AD OPTIMOS
ET PRVDENTISSIMOS, NEC
NON HONESTOS ET CIRCVMSP-
ECTOS viros ac Dominos, Henricum Gro-
uen, Iodocum Hattensen, Cunradum
Kruls, & Iodocum Brauneisen, Consu-
les Hoxarienses, aliosque eiusdem Rei-
publ. Senatores, & Patricios viros, bo-
nosq; & doctos iuuenes ciuesque, quos
ea Patria multos fouet, & alibi in
Academijis, studiorum gra-
tia, habet.

V *Rbs iacet ad Solini montis clarissima*
saltus,
Quae constans habitat Saxo colitq; loca.
Westphala gens claudit terras, studioque
perenni
Et Vigili, fines lumine seruat aui.
Natiua illa loci lingua est Hoxaria dicta,
In plano posita ac aggere cincta sacro.
Gens ad Visurgin, colles, ripasq; feraces
Inter, montosis cui fluit vnda locis.
Hic ubi Visurgis, Solina sylvam alluit, Echo
Monte repercussa reddere verba solet.
Tota fremit, vocesq; refert, iteratq; qd audit,
Nulla quies sonitus, nulla furentis aquae.

H 3 Omni-

DESCRIP TIO

Omnibus hic captus praefertur Salmo mari-
nis

Piscibus, & precium grande Silurus habet.

Quo preso, immesum sentitur pondus in amne,

Vix retinere viri ut pondera tanta queant.

Mox ad eunt clamore feram, sociosq; vo-
cādo

Accersunt, rete ut non trahat omne, fe-
rox.

Verbera crebra iacit, cauda vis magna va-
lentis,

Qua saepe incautis noxia damna dedit.

Captivaeq; fera nunc aliter vulnus adactum,

Per rostrum & fauces linea lora trahunt.

Quae natat in Siculo grandis Murena pro-
fundo,

Visurgis capitur flumine larga tuo.

Carpicon capitur squamosus, & ἔγχελο-
esca est,

Barbatus nullus, ceruleusq; lupus.

Dentacus, proprias vires non nescit, & alio

Semesos pisces ventre vorace gerit.

Crustatos cernes visurgis littore cancos,

Nec procul à liquido fonte Forella latet.

Prassinus, Authumnoq; frequens, at fundu-
lus imo,

Cum Capitone repit, Persicus arma gerit.

Cqrs-

Conferere hic ciues, atque ordine arare fe-
races

Agros, sunt docti, & flumine ferre rates.

Retia squamoso pecori fallentia norunt

Tendere, & ingenio texere, & arte, dolos.

Sunt, memorare queant commercia qui be-
nè larga,

Ciues, qui numerent plurima lucra domi.

Sunt qui magnificas præ magnis molibus aedes

Inhabitent, varia quæ arte, labore, nitent.

Nec sunt indocti cuncti, sed Palladis artes,

Et studia Aonidum plurima turba colit.

Doctrina exculti reuerenter, amantq; ca-
luntq;

Musas, hi ciues, ingenioq; valent.

Hinc tot & ingenijs fœcunda per omnia flores

Hoxaria, & magnum nomen adeptæ fuit.

Doctores multos produxit, & inclytæ scripta,

Hinc Hamburga suum Bogeriũ celebrat.

Patria q; Herboldum tulit Hoxara culta De-
canum,

Esse Erforda suum Presbyterum voluit.

Ianum Ruperti quoque tu Seuere receptum

In Canonem Erforda, tempora longa foues.

Et Ianum capitis, laudamus in æde Maria,

Hic ibi Gera fluit, Vir bonus ille fuit.

DESCRIPITIO

Rempertum simul & Remperti, laudibus
amplis

Tollimus, Erfordæ Syndicus Urbis erat
Et legum interpres, & consultissimus æqui,
Et Doctor Canonum, nomina clara gerēs.
Henricum Alberti, civem quoque iungo re-
latis,

Zicensem, quo non doctior alter erat.
Nunc etiam multos tales superesse videmus,
Hos inter primum, mente subisse cocum,
Doctorem Henricum testor, qui iura fe-
rendo

Erfordæ, à Decimo, nomina digna gerit.
Et Vitum Gerlings, Doctorem, in Monte
Hilidese,

A Decimo dignum qui quoque nomen ha-
bet.

Filius hic Iani Gerlings, patris aurea proles
Præclari, meritò quem mea Musa canit,
Plurima nanque extant in me bene condita
Iani

Facta, quibus grates carmina nostra so-
nant.

Sed te cur taceo, Vir multa laude refulgens,
Canceſ Vite, senex ô venerande mihi.

Te si non laudem, virtuti inimicus habebor,
Nam cunctos superas tu pietate pares.

Pro-

HOXARIÆ CIVIT. 56

Promptior in laudes diuinas nemo, promptior
atque

Pauperibus nemo & largior esse potest.

Quid studia hic memorem, quibus arduus
ipse Patronus

Existis, præbes hospitiumq; pius.

Atq; domi multos refoues feliciter annos

Iodocum Wulfum, sanguine iunctus is est.

In tantum creuit iuuenis clarissimus ille

Lumen, ut hand habeat huic schola nostra
parem,

Seu artes spectes, seu ampla volumina legum,

Prorsus nostra nihil hoc schola maius habet.

In summum tandem, crescet virtute, Deorū

Munere, Doctorem, Cōsulem & Imperij.

Nec decet oblitum esse tui me Cancellarie

Kramer

Iane, tuum noui qui benè dulce caput,

Dulce in amicitijs caput, & perforte colēdis,

Sermo pius, doctus, cuius ab ore fluit.

Eloquio nulli, nec doctrina esse secundus

Diceris, hinc verè nomina digna geris.

Non tibi quis meritò queat ullam impinge-
re culpam,

Non præfracta ferox, mens neq; dura riget.

Quæq; sui sensus nimiū sit amansq; tenaxq;

Sed moderata geris pectora, amica bonis.

H 5 Est

DESCRIPT. HOX. CIVIT.


*Est illibata tam sancta modestia vitæ,
Vt mores possit prendere nemo tuos.
Polles egregia doctrinæ laude, latinum
Eloquium pariter, Hellada sacra sonas.
Et tu Mauriti Gletzman, Secreta sciendo
Principis, officio fidus es ipse tuo.
In te non modici sudoris cura recumbit,
Pectore sed firmo pondera tanta subis.
Nec decet ut taceam Vitum Krullum, per-
amicum
Ciuem, cui nomen non nisi grande sumus.
Contulit in nostros & nos hic vir benefacta
Plurima, & hinc dignus quem mea Mu-
sa canat.
Proferat hæc utinã plures tam perfida cines
Ætas, Saturni regna redisse putes.
Antiquæ fidei, & probitatis in omnibus esse
Compertum est, nulli verbera verba dedit.
Dulce valete omnes, & dextro viuite fato,
Ac vester candor carmina nostra probet.*


FINIS.

Francosforti ad Moenum, ex
Typographico Eggenolphii
no, impensis D. Adriae Lo-
nicer, M. Joannis Cui-
prij, & Pauli Stein-

M. D. LXXIII.









Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.








Kr 2663^a

X 220 7115

ni

Nam fuit atq; fuit, sicutissima bellum in hinc.





REPETI-
TIO, DE PHILOSO-
PHICA REGVLA
IVRIS:

QVILIBET PRAESV-
MITVR VIVERE CENTVM
annos. l. fina. C. de sacrosanct. Eccles.
& l. an vsusfructus. ff. de vsufruct. An
vera sit, vel esse possit Regula, hoc no-
stro æuo. Quæstio, animi, & eruendæ
veritatis gratia, Philosophicè dispu-
tata, &, adiectis Doctorum Iuris
opinionibus explicata,

Ab

Henrico Cnaustino, V. I. Doctore.

ACCESSIT SECVNDQ LO-
co vehiculum humane vite Pythagoricum,
per fatales numeros, Septenarij, &
Nouenarij, decurrens, eodem
Authore.

IN CALCE, LEGES CORBE-
iensis Monasterij, & Hoxariæ Ciuita-
tis laudes, carmine & prosa.

Cum Priuilegio Casa. Maiest.

M. D. LXXIII.

